


32
3 G
2

PHILOSOPHIÆ UNIVERSÆ INSTITUTIONES

QUAS

JUSSU MINISTRI GENERALIS TOTIUS ORDINIS MINORUM

SANCTI FRANCISCI

ELUCUBRATUS EST P. DIONYSIUS A S. JOANNE IN GALDO

SACRAE TH. LECTOR JUB. ET EX - PROVINCIALIS EIUSD. ORD

AD USUM SCHOLARUM SERAPHICÆ FAMILIÆ


TOMUS PRIMUS

PHILOSOPHIÆ HISTORIAM, LOGICES, ET ONTOLOGIÆ ELEMENTA

CONCLUDENS

EDITIO SECUNDA

AB AUCTORE IN MULTIS EMENDATA, AUCTA, ET PERPOLITA



ROMÆ

TYPIS CLEMENTIS PUCCINELLI

MDCCCXLVI.

REVERENDISSIMO PATRI

P. ALOYSIO A LAURETO

TOTIUS ORDINIS MINORUM S. P. N. FRANCISCI

MINISTRO GENERALI

ETC. ETC. ETC.

P. DIONYSIUS A S. JOANNE IN GALDO

EJUSDEM ORDINIS ALUMNUS

S. P. D.

Nome Pater

Tuae vere paternae epistolae, qua ad alteram Philosophiae Rationalis editionem, exhausta jam prima, me excitabas, atque ad reddendas Ordinis nostri juvenibus aptiores hujusmodi Institutiones hortabaris, lubenter obsecundaturum spopondi. Fidem meam liberaturus operi manum admovi, atque plura scripsi, ex quibus, quid haec primae praestare possit editioni, potes colligere, Pater Reverendissime!

Quapropter in hac altera istarum Institutionum editione, quam minori festinatione curavi, multa addita videbis, permutata multa, plura detersa, atque aliqua omnino deleta. Siquidem illam primam a mendis, quae irrepserant, maxima solicitudine perpolivi; aliquas meas emendavi hallucinationes; nonnullas demonstrationes refeci; philosophorum systemata, praesertim Germanorum, latius evolvi; opinamenta diductius explicavi; illustravi loca obscura; quaedam argumenta vel depurgavi vel deduxi; plura vel adjeci exempla vel substitui; plures quoque doctrinas addidi, quae mihi occurrerunt aut lectione, aut meditatione;

demum prorsus rejeci, quae veritati haud respondere videbantur. Profecisse juvat, nec ulli crimini vertendum.

Verum piaculum foret praetermittere, me in hac altera editione haud omnia esse explanaturum, quae forte aliquis requirebat, ne scilicet essem legentibus gravis, atque facile intelligentibus molestus. Quare consectaria remotiora, exempla quaedam obvia vel spontanea, atque nonnullas explanationes praeceptoribus, cultioribusque reliqui. Quandoquidem arbitror, imo profiteor, aliquid in Institutionibus praeceptoribus esse concedendum, quin et juvenibus ad altiora scrutanda idoneis, ut istis illi sese commendarent, atque istorum excitaretur ingenium. Ceterum, cum unus tantum annus huic Philosophiae parti, hac praesertim aetate, tribuatur, cumque Institutiones veritatum elementa complectantur; procul dubio multitudo rerum tractandarum in Philosophia Rationali ad pauca quaedam erat coarctanda. Verum credidi semper, neminem sibi posse persuadere, se unius anni studio Philosophiae apicem attingere, philosophique nomen merere.

Institutiones itaque confeci, quae humanae cognitionis leges patefacerent, cognitionis fundamenta exponerent, atque nostrae rationis aeterna manifestarent problemata. Perspicuitatem, et brevitatem, quas doctus quisque Elementorum scientiarum dotes praedicat, sectatus, praecise scripsi, atque nullum praetermisi essentiale objectum. Campus Philosophiae est adeo exporrectus, ob novas praesertim disquisitiones, ut nemo illum percurrisse se gloriari fortasse valeat. Neque ego glorior, aut gloriatus sum.

Sed quisnam adeo desipuerit, ut in errorem numquam esse lapsum crediderit, aut non posse labi? Veritatem equidem dilexi, a qua distare pertimesco; dilexi et examen, quo ingenium acuitur, atque partus valet gignere robore, veritate, pulchritudine refertos. Falsum me, anima

contradicente, dixisse, non potest nullus introspicere, atque demonstare. Precor tamen, ne quis ex alienis rumoribus, aut ex unius vel alterius capitis lectione obiter perfuncta, praejudicatam de toto opere ferat sententiam.

Haec, Pater Rme, praefari volebam. Tu vero, quid potius, meliusque pro nostri Ordinis utilitate ex meis scriptis vel resecandum, vel seligendum, vel permutandum, vel recipiendum tua sagacissima mente, tuaque prudentia existimas, tolle, aut secerne, aut deme, aut permitte, aut praecipe; Tu, qui, quae in nostro Ordine optantur, vel requiruntur, vel expediunt, ex ejus perspicis culmine. Interim seraphicam benedictionem efflagito, tuamque dexteram reverenter deosculor.

Datum Campibassi ex S. Joannis Baptistae coenobio Kalendis Novembris 1846.

Paternitati Tuae Reverendissimae

Humil. Addictissimus, Obsequentiss. servus, et sub.

F. DIONYSIUS A S. JOANNE IN GALDO

PHILOSOPHIAE HISTORIA

1. Ita a natura est homo comparatus, ut perenniter exoptet felicitatem, ad quam omnia sua dirigit vota, omnesque cogitationes, actionesque convertit. Jam vero haec felicitas, quam hic assequi possumus, ex uno dimanare potest sapientiae studio, quod philosophia nuncupatur, accepto vocabulo a Pythagora, qui a Leonte Phliasiorum principe quaesitus, qua maxime confideret arte, philosophum seipsum appellavit (1).

2. Interea antequam ad singulos Philosophiae partes animum convertamus, externam ejus formam considerandam suscipimus, usi more illius, qui, ad singulas aedificii partes examinandas progrediens, externam illius speciem prius oculis collustrat. Porro generatim de philosophia tria perquiri possunt, quaenam nempe sit ejus origo, et vices, quodnam ejus objectum, quaenam ejus partes. Et in primis Philosophiae lectiones tironibus proponentes, de ipsius historia in antecessum breviter eos instruendos ducimus. Sicut enim animum addit agricolae ad agrum excolendum vocato ipsius agri extensionem, qualitatem, vepres, munditiam, heri morem noscere; ita juvat juvenes, antequam philosophiam ingrediantur, ipsius varios anfractus, systemata diversa, viros erroribus, aut veritatibus propugnatis celebres in philosophiae historia cognoscere, quae cum Religione, quae basis est omnis scientiae, connectitur, mentis vires excitat, juvenesque, qui tot opposita vident cogitata, modestos reddit.

3. Ad philosophiam vetusti sapientes retulerunt quidquid de Supremo Numine, de humanae sobolis proprietatibus, de caelorum, terraeque qualitatibus, atque de geniis

(1) Itaque philosophia est amor, seu studium sapientiae, scilicet nisus ad sapientiam, quia et tempore, et diligentia indigemus ad eam comparandam, et quia absoluta ejus notitia non utique potitur quisquam.

unius ductu rationis naturalis licet disserere. Quare recte eam Tullius (*De off. l. 2. c. 2.*) definivit *rerum divinarum, humanarumque, et causarum, quibus hae res continentur, scientiam.* Ast temporis progressu, majori diligentia, ac labore naturalium rerum scrutatis proprietatibus, in classes philosophiam tribuentes, pro variarum rerum tractatione Logicam, Metaphysicam, Mathesim, Physicam, Ethicam vocarunt. Imo veluti philosophiae partes Medicinam, Historiam naturalem, Chemiam habuerunt. Ast nos, uti videbimus in philosophiae partitione, philosophiae vocabulum ad partem rationalem coarctamus.

4. De philosophiae historia heic acturi haud erimus solliciti de causis, effectibusque rationes afferre, quod philosophiae finis est (§. 3.); sed rationalium scientiarum originem, ac progressum apud varias gentes strictim exhibebimus (1). Qua in re illud admonitum lectorem volumus, haud nos confidere, semper assecuturos esse veritatem, cum aliquorum philosophorum, sectarumque signabimus tempora, aut describemus doctrinam. Saepe enim usuvenit, alia, atque alia designari initia ab historicis pro sectarum varietate, ac temporum vetustate, atque ad multiplices sensus philosophorum dicta detorqueri.

5. Interim, ut ordine hac in re procedamus, historiam hanc nostram in quatuor partimur epochas (2). In prima philosophiae historiam texemus a mundi exordio ad graecas usque scholas; in secunda de Philosophiae incremento disseremus a graecis scholis usque ad *Eclecticismum*, uti ajunt; in tertia de Philosophiae vicissitudinibus loquemur ab *Eclecticismo* ad illius instaurationem: in quarta demum dicemus de Philosophiae instauratione ad haec usque tempora.

(1) Historia philosophiae non est ipsa philosophia, sed narratio partuum humanae rationis modo propugnatorum, modo impugnatorum, atque respicientium philosophiam veluti scientiam, deducta ordine, quo illos partus humana edidit ratio. Quapropter deberemus omnes recensere humanae rationis foetus ad philosophiam spectantes, atque simul describere, et designare vitam, indolem, doctrinam, patriamque philosophorum, nec non tempus, gentem, locum, in quibus illi philosophiam docuerunt, causasque etiam referre, quae ipsos ad tantum negotium impulerunt. Sed nos compendium, non historiam philosophiae omnibus numeris absolutam, nostris alumnis exhibere statuimus.

(2) Siquidem si quis vir ingenio potens, vel aliqua nova doctrina est causa, cur scientia quaevis directionem mutet, novas quaestiones introducat, veterum rerum faciem commutet, diversumque inquisitionis spiritum in dato tempore statuat, innovatio haec *epocha* appellatur.

EPOCHA I.

DE PHILOSOPHIAE HISTORIA A MUNDI EXORDIO AD GRAECAS USQUE SCHOLAS

6. Cum ex sapientiae studio felicitas, ad quam homo innato velut pondere tendit, praecipue dimanet (§. 1.); recte infertur, hominem ab exordio mundi philosophandi votum cum existentia recepisse, ideoque primum hominem philosophorum principem extitisse. Et hoc non obscure ex eo colligitur, quod Adam cunctis animantibus nomina imposuerit, et *omne quod vocavit Adam animae viventis, ipsum fuerit nomen ejus* (Gen. 2. v. 19.). Quandoquidem hoc minime ille perficere potuisset sine earum potissimum rerum scientia, quae vita, sensuque donantur. Adde, quod Deus providus sit, nec Adamo, quem adulta aetate, et tanquam universae generationis parentem condidit, negare potuerit eorum cognitionem, quae ad consentaneam filiorum disciplinam, et ad se tuendum, dirigendumque necessaria videbantur. Quod ex eo pariter colligitur, quod antiquissima monumenta, quae dogmata philosophica theologicis confusa, et veluti implicita praeseferunt, philosophiam non humanum, sed divinum ex traditione receptum demonstrare videantur inventum. Vide S. Thomam (*Opuscul. de scientia primi hominis.*)

7. Adamum porro filios, et nepotes suos nongentorum et triginta annorum spatio eamdem rerum scientiam, qua ipse potiebatur, docuisse perspicuum est. Et reapse Mathusalem Adamum superstitem habuit annis 243, atque cum Noe vixit annis 600, obiitque ipso anno diluvii; Noe vixit cum filio suo Semo, qui cum Abrahamo vixit annis 50; Abraham filium Isaac, et Isaac Jacobum, et Jacob duodecim filios habuit. Inter istos Levi vixit usque ad Moysen. En quomodo propagari potuerit, et reapse propagata est philosophia ab Adamo ad Moysen, qui eam Iudaicam gentem edocuit. Revera Cain (Gen. 4.) *aedificavit civitatem*, Iubal fuit *pater canentium cithara et organo*, Tubalcain fuit *malleator*, *et faber in cuncta opera aeris, et ferri.* Ast, in vario vitae genere distractis primis hominibus, alii venatores extitere brutorum latibula aucupantes, eorumque decipientes calliditatem; alii pastores soli

naturam, temperiem, foecunditatis, gestationisque tempora, morbos, remedia accurate exquirentes; alii agricolae addicti in detegenda soli natura, in dignoscendis seminibus, in explorandis viribus animalium, quae laborum suorum socia sibi adsciscebant. Ex his porro ad ferrum, lapides, ligna, caementa tractanda natae sunt artes, sine quibus instrumenta ad venationem, ad agrorum cultum, ad tot vitae usus necessaria defuissent. Haec scientia priscorum hominum fuit.

8. Universali cataclysmo humano genere pereunte, non item occidit naturae studium. Memoranda profecto sunt Noachi, Abrahami, Mosis, Davidis, Salomonis nomina, qui non solum sapientia, quae in Deum, ejusque perfectiones versatur, donabantur; sed ne rerum quidem naturalium ordinem, leges, phaenomena ignorabant, uti ex eorum libris non obscure colligitur. Salomon enim, ut alios sileam, *disputavit super lignis a cedro, quae est in libano, usque ad hyssopum, quae egreditur de pariete: et disseruit de jumentis, et volucribus, et reptilibus, et piscibus* (3. Reg. 4. 33.). Quare perperam Heinnecius (*hist. philos.* §. 14.) scribit de Hebraeis: *Eorum sapientia magis in vera Dei notitia, et scientia morum, quam in speculationibus physicis constitisse videtur.* Hinc docet Josephus (*Antiq. l.* 1. *c.* 15.), ab Abrahamo Chaldaeos fuisse edoctos, imo testatur Eusebius (*Praep. l.* 4. *c.* 17., *et l.* 10. *c.* 5.), Phoenices scientiam ab Abrahamo, et litteras ab Hebraeis accepisse, licet alii alia sentiant (§. 11.). Non itaque male recentiores aliqui putant, philosophiam, quae cum Religione copulatur, et ex ipsa enascitur, penes varias gentes fuisse eamdem Religionem primitus revelatam, sed postea corruptam, et fabellis refertam. Imo generice dici potest cum Ventura, *primam populorum philosophiam religionem fuisse.* Quod etiam colligitur ex sacris libris gentium, qui simul philosophica continent systemata, atque revelationem quamdam supponunt. Scientiae rationales cum opinionibus religiosis semper pari passu ambulant, uti docet experientia. Verum temporis processu et ipsi in sectas divisi sunt Hebraei, quorum alii Essaei, alii Sadducaei, alii Pharisaei pro eorum dogmatum varietate dicti sunt. Ceterum non est tacendum, cogitationes plurimas, praesertim illas, quae Deum respiciunt, Adamo, ejusque Nepotibus tributas, de quibus in sacris litteris fit mentio, a Deo ipso illos accepisse. Verum nos philosophiam in subjecto

existentem, non in causa fontali, in hac historia contemplamur (1).

9. Primi omnium, qui inter gentes scientiis navarunt operam Chaldaei creduntur, qui Deum supremum confitebantur, atque varios intelligentiarum ordines a Deo emanatarum, vel, uti alii volunt, Deum dicebant principium igneum totam per naturam diffusum, et ex eo mundum emanatum. Zoroaster, qui Nemrodi aetate floruit, uti S. Epiphanio adrisit, scientiarum parens apud Chaldaeos habetur, atque Belus Semiramidis pater, veluti Astronomiae auctor. Multo in honore apud ipsos habitus est Berosus, qui an. 280 ante Christum vixit, atque Chaldaeornm scripsit historiam, eorumque scientias in Graeciam invexit.

10. A Chaldaea progressa est artium disciplina ad Persas, qui, duce altero Zoroastro, qui Darii Hystaspis tempore floruit, duo numina, seu rerum principia sibi invicem adversa coluerunt, malorum auctorem alterum dictum Arimanium, alterum bonorum dictum Oromazium, et inter illa tertium Mithrae nomine. Magi apud illos sunt, qui scientias colunt, quas in Graeciam primus intulisse Ostanes dicitur. Circa mali originem idem cum Persis sensisse Arabes, praecipue Sabaeos, atque circa plura edoctos ab illis fuisse, ex disputationibus amicorum Jobi colligunt eruditi.

11. Phoenices autem magnam nominis celebritatem nacti sunt, praecipue ob litterarum et nauticae inventionem, et siderum observationes, quae a Sanchoniatone Berytio, qui ante dirutum Ilium vixisse creditur, et a Mocho, sive Moscho acceperunt. Ab iisdem atomorum systema emanasse docent Strabo, et Cudworthus. Cadmus Phœnicius habetur veluti coloniae dux in Graeciam deductae, et ex Phœnicia in Graeciam litteras intulisse creditur.

(1) Tria docet Tennemann (*Manual. della storia della filos. Napoli* 1833. *Introduz. Gen. cap. I.* §. 16. *ad* 20.), nempe 1. non posse admitti populum philosophicum primitivum, alias supponeretur, totam scientiam habuisse ortum a Revelatione; 2. unum populum Graecum statuisse epocham in Philosophiae historia; 3. a Thalete Philosophiam exordium accepisse. Verum 1. nescio, an Tennemann audeat inficiari Revelationem, qua posita, in rerum principio homo profecto erat subjective philosophus; 2. certe in Oriente multae philosophicae scholae ante Graecos fuere; imo in Italia existebat schola Pythagorica, uti notat Balthassar Poli; 3. non a Thalete, sed potius a Pythagora incipiendum foret, quia ante Thaletem existebat quidam sacer institutus sacerdotalis Pythagoricus, imo et in Aegypto; ac proinde ab Italia potius exordiri deberet Philosophiae historia, uti notant (loc. cit.) Balthassar Poli, et Romagnosi.

12. Multum in literalibus excolendis disciplinis Ægyptii profecere, quos magistros adibant saepe Graeci sapientes, in quorumque sapientia praedicant sacrae litterae eruditum Moysen. Licet Deum unum, rerumque omnium opificem, animarumque transmigrationem admisisse Ægyptios credant aliqui, non desunt tamen, qui cum Persis (§. 10.) convenisse dicunt circa Theogoniam, nempe Osiridem pro Oromazio, Typhonem pro Arimanio, Orum pro Mithra admittentes. Plurimum excelluisse in Mechanica Ægyptios ex pyramidibus, et obeliscis apparet; plurimum praestitisse et in Astronomia et in Geometria, qua fines agrorum ex Nili exundationibus permixtos denuò constituere tenebantur, putant eruditi. Ægyptiorum sapientia Hermeti, sive Mercurio auctori tribuitur, cui longo post tempore alter successit Mercurius, cognomine Trismegistus.

13. Indi principem sapientiae Buddham venerati sunt, quem Brahmanes, seu Bramini sequuti sunt: qui, habiti veluti diligentissimi siderum observatores, mundum a Deo emanatum jactitabant, Deumque dicebant per omnes mundi partes diffusum,animarumque methempsycosim profitebantur. Eamdem doctrinam Sinis tribuunt historici, qui eorum primum legislatorem Fokiam dicunt, cui postea successit Confucius, quem a. 551. ante Christum, ingenio, sapientia, virtuteque praestantissimum, philosophiae, atque politicae magistrum praedicant historici. Multa quoque de astronomia tribuuntur Sinis, sed hisce temporibus non satis probata. Imo docent Colebrooke, Cousinus, M. de Martes, aliique eruditi, apud Indos a veteribus temporibus fuisse scholam, dictam Sânkhya, hancque divisam in plures sectas, quarum primam erexit Kampila, eamque atheam. Tenebat haec schola, futuras pœnas devitari veritatis cognitione, quae consistit in distinguendis principiis *perceptibilibus*, et *in imperceptibilibus*, et praesertim in distinguendo principio cogitante in homine; quaeque acquiritur sensatione, inductione, affirmatione. Quae *percipi* possunt, ad vigintiquinque juxta hanc scholam reducuntur, nempe 1. natura, causa universalis. 2. intelligentia producta a natura. 3. conscientia statuens propriam existentiam. 4. ad 8. terra, aqua, ignis, aer, spatium, producta a quinque particulis elementorum. 9 ad 13. quinque particulae elementorum a conscientia productae. 14. ad 24. quinque sensus externi necessarii ad sensationem, et quinque alii ad actionem, producti etiam a conscientia, et sensus communis; quae copulata cum intelligentia, et con-

scientia instrumenta sunt perfectae scientiae. 25. anima nec producta, nec producens, individua et multiplex, sensibilis, immaterialis, aeterna. Docebat insuper, creationem complecti octo ordines semideorum superiores, qui sublimem aerem incolunt, et quinque inferiores, uempe quadrupedes, aves, reptiles, vegetabiles, hominem, qui in ima obscuritate degunt. Deum negabat, utpote qui nequit acquiri sensibus, ratiocinio, revelatione; ast *Intelligentiam* admittebat a natura procedentem, originem omnium existentiarum. Ex quo patet hac in schola contineri materialismum, fatalismum, pantheismum.

14. Alteram scholam ex Sankya instituit Gôtama, quae rationalium Indorum est, quaeque divisa et ipsa est in duplicem classem, quarum primam Gôtama, alteram Kan'a'da promovit; illa Logicam et Metaphysicam; haec physicam corpuscularem versabat. Tota haec schola animam a corpore divisam, corpusque iners moventem, infinitam, aeternam, cognitam organo mentali, quatuordecim qualitatibus ornatam, et praeter ipsam etiam animam supremam, et creautem professa est. Quinque sensus externos, unumque internum, materiam vero in statu atomorum aeternam admisit. Gôtama sexdecim categorias, sex autem Kan'a'da cognovit.

15. Fuit inter Indos etiam schola Idealistica, duce Vêdanta, qui materiae existentiam negavit, atque unam professus est essentiam energicam, in qua sunt omnes naturae modificationes. Fuerunt deinde Supernaturalistae, qui, doctore Djaimini, doctrinam colligunt ex Vêdas, qui erant libri sacri revelati a Deo Brahmâ, quique praecepta, preces, sacrificia continent. Haec schola dicta est Mômânsâ, cui plura addidit Pantandjali, qui meditationem, et ecstasim docuit, regulasque ad haec peragenda similes illis, quibus utuntur recentiores *magnetisantes.* Fuerunt demum Eclectici, quorum aliqui, magistro Djaianiani, profitebantur, ex atomis universum esse ortum; entia alia esse animata, et alia inanimata; actus quatuor esse puros, et quatuor impuros; alii vero, praeceptore Bouddhas, negarunt veritatem librorum Vêdas, et isti divisi sunt, sed omnes veluti haeretici habiti persecutionem passi sunt. Admittunt quoque Iudi librum conditum a Mano saeculo decimo secundo ante aer. vulgarem, qui agit de creatione, educatione, matrimonio, oeconomia domestica, modo vivendi, mulierum purificatione, devotione, regimine politico, legibus poenalibus et civilibus, mercatoribus, famulis, expiatione,

trasmigratione, deque finali beatitudine. V. Balthassar Poli - (*Supplementi al Manuale di Tennemann*). (1).

16. Apud Sinenses quoque reperti sunt libri Meng-Tseu a Mencio, et Tao-Te-King a Lao-Tseu conditi. In primo laudantur veteres Imperantes, reprehenduntur Reges vi pacem conciliantes, probatur humanae naturae bonitas, refutantur errores aliquarum sectarum, anima a corpore distincta admittitur, ratio sectanda dicitur, ut caelo serviatur. In altero vero admittitur transmigratio, Intelligentia suprema dicta *Tao*, cum nomine, et sine nomine; ut nominabilis, mater rerum corporearum; ut innominabilis, principium caeli et terrae, corporea, et incorporea, quae contemplanda dicitur absque ullis terrenis desideriis. Mencio saeculo quarto, Lao-Tseu saeculo sexto ante aer. vulg. ponitur (2).

(1) Non abs re erit hac in re notare cum Cantù (*Stor. univ. t. 2. epoca 2. p.* 1. c. 10. et seqq. et *Sulle Religioni Documenti alla storia univ. vol. un. p.* 2. n. 2. *et* 3.), 1. apud Indos probari Ens supremum *Bram*, ejusque tres emanationes admitti in *Brama*, *Visnu*, seu *Vichnou*, et *Siva*, qui *Trimourti*, seu Trinitatem Indorum efformant; 2. *Brama* dici creatorem omnium, atque Auctorem quatuor librorum sacrorum, qui vocantur *Vedas*; *Visnu* omnium conservatorem; *Siva* destructorem, et hostem; 3. quemvis ex hac Trinitate deum pluries incarnatum dici, atque suos habere sacerdotes *Braminos*; 4. Trinitatem quoque admitti efformatam ex uxoribus *Brama*, *Visnu*, *Siva* vocatis *Sarasvati*, *Lacmi*, *Bravani*, aliisque nominibus; 5. videri quidem Religionem, et Philosophiam Indorum continere emanatismum, pantheismum, materialismum, aliosque errores; sed *Ragia Ram mohun-Roi*, qui Braminus ex India in Anglia a. 1830 profectus morabatur, oppositum narrare; 6. atque dicere, libros *Vedas*, quos creationis mundi aetatem habere dictitant Indi, fuisse abhinc annis 2000. redactos a *Viasa* in compendium, dictum *Vedanta*; 7. a *Vedas*, et *Vedanta* colligi, Indos probare Ens supremum, incomprehensibile, ineffabile, invisibile, omnia cernens, omnia creans, sub variis tamen formis repraesentatum; huic enti supremo deberi cultum adorationis, ipsique esse obediendum; animas huic Enti supremo devotas post mortem in ipsum absorberi. De pantheismo Indorum potest videri Maret (*Saggio sul Panteismo c.* 8.), et praecipue Colebrooke (*Essais sur la Philos. des Indus*). Animadvertit tamen ipse Cantù, et Tennemann (*Introduz. particol.* §. 67, *ediz. Nap.*), adhuc nesciri, utrum doctrina Indorum fuerit indigena, vel ab aliis gentibus sit accepta, vel mixta cum aliena.

(2) Sed notant Martini (*Storia della filos. disc.* 1.), et G. Ferrari (*nota al* §. 69. *di Tennemann. Napoli* 1833), primam religionem apud Sinas fuisse invectam a *Fou-hi* a. 2900. ante Christum, eamque mixtam cum astrologia, et magia esse repositam in caeli, terrae, astrorum, viriumque naturae cultu; a. 800. ante Christum *Lao-kiun* doctrinam veterem reformasse, sectamque composuisse *Tao-tse*, cujus objectum erat *Tao*, ens nempe sine corpore, et figura, omnium rerum origo, regula suprema; a. 597. ante Christum a secta *Tao-tse* ortas esse sectas *Jang*, et *Mè*, quarum prima pro norma actionum humanarum egoismum absolutum admittebat, altera vero amorem sine ullo discrimine erga omnes; a. 550. *Confucium* veterem religionem innovatam a *Lao-*

17. Apud Æthiopes Atlantem plurimum praestasse in Astronomia, docent eruditi; ex quo caelum suis humeris sustinere fabula confecta est. Inter Scythas commemorantur Abaris, Anacharsis, Taxaris, Zamolxis. Orpheum inter Thraces doctrinam calluisse, probatur ex eo, quod lyra sua silvas et saxa movisse, fluviorum cursum prohibuisse, ferasque mitiores reddidisse, fabulae testentur. Apud Gallos et Germanos Druidae, et apud Britannos Bardi, qui eorum erant Poetae et sacerdotes, sapientes habiti sunt. Sed satis de primis illis temporibus, in quibus scientiarum infantiam strictim contemplati sumus.

EPOCHA II.

A GRAECIS SCHOLIS USQUE AD ECLECTICOS PHILOSOPHOS.

18. Relictis heic quae fabulas sapiunt, quaeque mythologicam constituunt philosophiam, quam Orpheus, Hesiodus, Homerus, ceterique Graecorum sapientissimi poetae sunt prosequuti, multiplices referre graecorum sectas sive scholas, arbitramur, quarum aliae unam, aliae alteram, philosophiae partem excolentes, multas veritates, et errores plurimos nobis tradiderunt. Scientiarum studium apud Graecos circa a. 600. ante aeram vulgarem est exorsum, sapientesque sunt vocati, qui in qualibet scientiarum parte aliis praestiterunt. Creditur Graecia a coloniis aegyptiis, phoeniciis, phrygiisque artes, notionesque philosophicas accepisse, licet omnino ignoretur pars, quae indigena erat, quaeque extranea.

19. Septem fuerunt in Graecia viri, consensu omnium, sapientes appellati, Thales Milesius, Solon Atheniensis, Chilon Lacaedemonius, Pittacus Mitylenaeus, Bias Prienaeus Cleobulus Lindius, Periander Corinthius. Origo istorum, uti Ausonius et Valerius Maximus narrant, haec fuit. Quidam

Kiun in vitam revocasse, atque satagentem componere sectas *Jang*, et *Mè* docuisse, virtutem in medio consistere; a. 450. *Mong-tse* fuisse persecutum missionem Confucii; a. 65. post Christum Buddhismum in Sinense imperium invectum esse, atque a. 1400. post Christum floruisse sectam *Yu-Kian* a suo fundatore dictam; demum recentiores philosophos ex libro *Y-King* admisisse ens supremum *Tai-Ki* omnia creantem, conservantem, omnipotentem, fatoque obnoxium.

Milesii jactum retis emerant; extracto rete, inventus est cum piscibus tripus aureus. Suum esse ajebant Milesii, sibi vindicabant piscatores. Aditum est Apollinis oraculum, cujus responsum fuit, sapientissimo illius aetati tripodem deberi. Omnium consensu ad Thaletem delatus est, a quo ad Biantem remissus, tamquam se sapientiorem: hic eadem de causa Pittaco obtulit: ab hoc ad alios, quos laudavimus, transmissus, donec ad Thaletem rediret: qui demum statuit Apollini dicandum, soli vere sapienti, et sapientiae largitori. Admirata Graecia illorum virorum magnitudinem animi, eos et esse, et vocari debere sapientes judicavit (V. Forcell. v. *Sapiens*). Ethicam, et politicam praecipue isti sapientes coluere, leges, praeceptaque ubique edocentes, et Respublicas condentes, aut disruptas componentes.

20. Inter graecorum sapientum sectas Jonica est prima, ex qua aliae passim ortae videntur, si Italica excipiatur, quae veluti fons aliarum et ipsa extitit. A Thalete, qui cir. a. 600. ante aer. vulg. floruit, Mileti in Jonia orto initium haec sumpsit schola. Ipse plures gentes adiit earum doctrinas addiscendi causa, in patria scholam erexit, suosque docuit, quae meliora collegerat. Doctus in astronomicis geometriam coluit, eamque suis forsan inventis auxit; causam supremam est confessus, licet omnia deorum plena affirmaverit; animas immortales statuit; mundum ex aqua efformatum dictitavit. Thaleti in Jonica schola successit Anaximander, et huic Anaximenes, ambo Milesii, sed ambo a Thaletis doctrina aliquantulum declinantes, rerum omnium principium esse infinitum quid, vel potius aerem, dixerunt; fortasse Deum sustulere. Anaximenis auditor fuit Anaxagoras, qui penitius prospiciens duo distinxit in mundi molitione, materiam, et mentem, hancque esse a materia distinctam, omnisque motus principium docuit, mundumque ex partibus similibus constare aestimavit. Huic Archelaus successit, qui mundum ex partibus dissimilibus conflatum voluit, Physicusque dictus, quia physices studium invexit Athenas, ubi Socratem auditorem habuit.

21. Socrates Atheniensis, ex quo Socratica schola dicta est, ex Sophronisco Sculptore, et Phaenaraeta Obstetrice ortus, circa a. 470. ante aer. vulg., hominum sapientissimus appellatus, duo statuit criteria, unum ad sophistarum (1) arro-

(1) Sophistae scientiam externam veritate destitutam fallaci dialectico, fucatoque stylo adornatam, quam sola utilitas promovebat, praeseferebant. Inter ipsos recensentur Gorgias Leontinus, Protagoras Abderites, Prodicus, aliique.

gentiam retundendam, alterum ad revocandos homines a nimia curiositate discendi ea, quae ad vitae emendationem nihil prosunt. Primum illud sic enunciabat: *unum scio, me nihil scire*; alterum: *quae supra nos, nihil ad nos.* In eo totus erat Socrates, ut homines seipsos explorarent, motus animi compescerent, virtutem et sapientiam labore ac studio acquirerent. Duobus viis utebatur Socrates ad excitandos animos ad veritatem, atque ad reddendam rationem de certitudine, in qua esse gestiebant, ironia nempe, et interrogatione. Hinc Socrates habetur veluti *caput, et fons philosophiae*, ut ait Tullius (*l.* 1. *de Orat.*). Vide Monti (*Lezioni di Eloq.-Socrate.*). Legem naturalem a Deo deducebat, virtutique post mortem praemia deberi profitebatur. Deos communes publice coluit, sed clam contempsit. Quare insimulatus, quod Deos despiceret, veneno ab Atheniensibus sublatus est; sed populus facti poenitens accusatores exilio mulctavit, eique statuam aeneam dedicavit. Nihil reliquit scriptum, omniaque deperiissent, quae docuerat, nisi ejus discipuli Xenophon, Cebes, Plato servassent.

22. Euclides Megarensis, qui floruit circ. a. 400. ante Christum, et ex quo *Megarica* orta est secta, mulieri indutus veste clanculum Athenas ingrediebatur ad Socratem audiendum, quia pœna capitis ingredi Athenas Megarae civibus erat interdictum. Suo ingenio indulgens, et Dialecticae praecipue studens, adeo disputationis studio abripiebatur, ut ejus schola *eristica*, seu litigiosa postmodum sit appellata. Ex Euclide, diverso ab Euclide, qui in geometria postea magnum sibi comparavit nomen, extitere discipuli Eubolides, Euphantus, Apollonius, Stilpo, aliique, qui omnes a disputandi prurigine sophistae sunt vocati. Eubolides inventor dicitur septem sophismatum, non ut iis uteretur, sed modum ipsa refutandi reperiret. Stilpo negasse fertur realitatem idearum universalium, quia objecta tantum singularia conspicimus - Vide Martini (*Storia etc. disc.* 2.).

23. Eliacam scholam condidit Phaedo Eliensis, alter Socratis discipulus, qui minime recedens a mera Socratis doctrina megarensibus sophistis toto se opposuit studio. Ei successit Plisthenes, et huic Menedemus Eretriacus, ex quo Eretriaca schola illa dicta est. Tandem illam rexit scholam Asclepiades, alius ab illo, qui tempore Caesaris Romae exercuit medicinam.

24. Spectatissimum Socrates auditorem Platonem habuit, qui Athenis a. 429. ante aer. vulg. natus est, et Socrati decem

annis operam dedit, dein Euclidi Megarensi, postea Theodosio Mathematico, demum Philolao. Discendi studio plures suscepit peregrinationes; ex quibus in patriam redux scholam instituit in loco, quem publico gymnasio quidam Academus destinarat, *Academicam* proinde dictam. Materiam aeternam admisit Plato, licet natura sua confusam, informem, temere agitatam, atque a Deo in ordinem redactam, postquam Deo restitisset, ex cujus resistentia mala orta sunt (*in Timaeo*); Deum confessus est supremum, immaterialem, liberrimum, providum, potentissimum; alios deos minores posuit, et daemones a divina substantia emanantes, quibus rerum sensibilium molitionem tribuit; animas hominum praeextitisse corporibus, atque per emanationem a Deo avulsas, rerumque intelligibilium notitia donatas putavit. Ceterum istae animae in corporibus detrusae notiones ingenitas oblitae sunt, quae denuo contemplatione possent reminisci, sicque iterum ad Deum accedere, uti ipse docebat. Creditur Plato putasse animam nostram, cum aliquod factum perquirit, lumen *anticipatum* de hoc facto habere, alioquin non perquireret, hocque lumen ideas innatas vocasse, aliisque suasisse vulgarem, quam ipse non probabat, opinionem de animarum praeexistentia. Hinc docent de Salinis, et de Scorbiat (*Précis de l'Histoire de la Philos.*), Platonem Jonicam (§. 20.), quae sensista, et Italicam (§. 31.), quae idealista fuit, composuisse scholas, triaque facta in nostro admisisse intellectu, nempe sensationes mutabiles, notiones objectorum mutabiles, et ideas immutabiles, necessarias, universales. De hisce Platonis ideis loquitur Tullius (*qq. acad. l. 1. n.* 9.) dicens: *mirifice Plato ideas erat complexatus; ut in his divinum quiddam esse diceret.* Et hae ideae Platonis *in Timaeo* evolvi videntur, in quo, interprete Marsilio Ficino, ait: *fateri oportet, esse speciem, quae semper eadem sit, sine ortu, atque interitu, quae nec in se accipiat quicquam aliud aliunde, nec ipsa procedat ad aliud quicquam, sensuque corporis nullo percipiatur, atque hoc est, quod ad solam intelligentiam pertinet.* Deinde tenent Martini (*Storia etc. disc.* 2.), et Tennemann (*Introduz. particul. t.* 1.), Platonem praeterea docuisse, dari substantias corporeas, et incorporeas; causas veras, et physicas; unam intelligentiam esse causam veram, et liberam, omnesque causas relativas pendere ab *absoluto* necessario, quod initio, et fine caret; substantiam non esse phaenomenon, sed quiddam *reale* secum semper habere; materiam esse ens mutabile, in aeterno spatio indeterminatum,

fierique corpus, cum spatio constringitur; tres animas existere in homine, rationalem, appetentem, sentientem, duasque postremas esse materiales, et mortales. Summum bonum in contemplativa scientia, qua possumus Deo similes fieri, reposuit Plato, qui mathematica plurimi faciebat, utpote ad contemplationem disponentia. Plura etiam de politica disputavit Plato, qui illi sociam faciens moralem docuit, legem non ab arbitrio, sed ab invariabili natura hominis procedere; cognitionem hominis, ejusque relationum esse sapientiam; sensum communem, seu instinctum moralem esse actionem instinctivam intelligentiae super voluntatem; quatuor esse praecipuas virtutes, sapientiam, temperantiam, fortitudinem, justitiam; moralem esse concentum inter actus humanos, et supremam legis rationem, politicam esse scientiam congregandi homines in societate, ibique eos sub vigili morali continendi; felicem esse regnum, in quo rex philosophiam colit, vel philosophus est rex.

25. In Platonis schola ordine praefuerunt Pseusippus ex sorore nepos, Xenocrates, Polemo, Crantor, Crates, qui illibatam praeceptoris custodientes doctrinam, academiam veterem constituerunt. Arcesilaus vero, qui Crateti successit, parum immutata Platonis doctrina, accademiam mediam condidit, in qua praepositi sunt Lacydes, et Evander Egesinus. Post hunc rexit scholam Carneades, qui, aliis inductis mutationibus, novam fundavit academiam, quam sunt moderati Clitomacus, Philo, qui Ciceronem, et Antiochum Ascalonitam auditorem habuit. Hoc erat discrimen inter has academias, quod Plato per intellectum scientiam, et per sensus opinionem haberi doceret; Arcesilaus nihil sciri posse, et suspensionem sapienti relinqui dictitaret; Carneades veritates, a nobis tamen nullimode intelligendas, admitteret.


26. Aristoteles Stagirites Nicomachi medici filius et Platonis discipulus natus an. 384. ante aer. vulg. Athenis in Lyceo, quem ad exercendam juventutem in arte gymnastica, et militari Pericles condiderat, novam erexit scholam *peripateticam* appellatam, quia deambulans docere solebat. Suo eximio ingenio fere omnes scientias est complexus Aristoteles. Logicam a Platone receptam ad meliorem redegit formam, ejusque figuras, et modos exposuit. Logica Aristotelis est inter monumenta ingenii humani maximum, ait Saint-Hilaire, neque post Aristotelem aliquid novi nacta est Logica praeter claritatem, inquit Kantius. Statuit Aristoteles decem praedicamenta, seu cognitionis elementa, substantiam, quantitatem,

qualitatem, relationem, locum, tempus, situm, possessionem, actionem, passionem. Admisit intellectum *agentem*, qui instar lucis ex *speciebus impressis*, seu imaginibus in phantasia relictis ab objectis, objecta veluti irradians imagines spirituales, seu *species expressas*, haurit; et intellectum *patientem*, qui hasce spirituales species recipit. Omnes ideas a sensibus originem ducere statuit, ex quo effatum illud peripateticorum: ***nihil est in intellectu, quod prius non fuerit in sensibus.*** Deum confessus, ejus existentiam a primi motoris necessitate demonstravit. Materiam, vel, ut alii volunt, mundum aeternum asseruit. Triplicem in homine statuit animam vegetativam, sensitivam, intellectualem, quam postremam immortalitate donatam dixit. Moralem philosophiam egregie ampliavit in suis Ethicorum libris, in aliis ad Eudemum, in duobus magnorum moralium, in libro de virtutibus, in duobus oeconomicorum, et in politicis. Corporum naturam scrutatus est, atque brutorum proprietates descripsit, opibus adjutus Alexandri M., cujus praeceptor decem annis extitit. Neque pulchras reliquit artes, quarum principium in naturae imitatione reposuit; rethoricam, atque artem Poeticam magna evolvit sagacitate, omne scibile humanum veluti complectens. Quare tum Alexander, tum Aristoteles sua mente totum mundum respexisse visi sunt; sed sors Aristoteli favit, non Alexandro, qui, militibus tumultuantibus, totius Orientis plagas suae nequivit subjicere ditioni, demortuusque inceptum consilium ad finem non perduxit (1). Inimicorum invidia Chalcidem

(1) Praeter supra recensita Aristoteles docuit, artem, sagacitatem, scientiam, ratiocinium, sapientiam esse facultates intellectivas, aut harum effectus; sapientiam esse *theoreticam* et *practicam*; theoreticam dividi in mathematicam, physicam, ontologiam, theologiam; *practicam* vero in artes technicas, et actus humanos, de quibus egit in Ethica, Politica, Oeconomica; in anima esse intellectum, et voluntatem; esse illam in intellectione activam, in sensatione passivam; praeter quinque sensus dari sensum fundamentalem, seu conscientiam; voluntatem supponere perceptionem, et bonum cum vero, malum cum falso confundi; principium motus rei dici *entelechiam*, quam omnibus corporibus viventibus tribuit; sensibilitatem, rationem, voluntatem esse principia moralia, summumque bonum consistere in absoluta perfectione; servitutem obnoxiam non opponi juri naturae; nullam regiminis formam posse omnibus populis convenire; publicam educationem esse privatae praeferendam. - Vide Martini (*Storia, etc. disc.* 3.) - P. Ventura (*Del principio fondament. della vera filos. Roma* 1846.) docet, Aristotelem in metaphysica ad verbum transcripsisse Indorum libros, quos habuit, devicta India ab Alexandro, atque hoc colligi ex memoriis Societatis Calcuttii. Credit quoque Mastrofini (*Met. subl. t.* 1. *l.* 1. *c.* 2. §. 24.) post Genuensem (*Elem. met. p.* 3. *prop.* 9.), Aristotelem non recte de animae humanae natura sensisse, nec penitus eam a

aufugiens Theophrastum ex Eresso successorem in Lyceo habuit, quem Strabo Lampsacenus est secutus, inde Licon Troadis, postea Aristo Caeus, et demum Critolaus, et Diodorus. Theophrasto sua scripta reliquit, qui scripsit haeredem Neleum, cujus posteri ea condiderunt sub humo, ex qua effossa post 130. annos vendita sunt Apelliconi Tejo, ex quo ad Tyrannionem Grammaticum pervenere, qui ambo lacunas suffecerunt. Illis potitus Andronicus Rodius disposuit, quae ad Logicam, Ethicam, Physicam pertinent, post physica, quae de ente agebant, reponens, dicta proinde *metaphysica*; ex quo metaphysica facta est. Philosophia peripatetica multos sectatores habuit, sceptrumque tenuit usque ad saeculum XVII, et ultra.

27. Antisthenes Atheniensis et ipse Socratis auditor Sectae Cynicae fuit parens, florebat vero cir. a. 424. ante Christum. Spreta Logica et Physica, Ethicae excolendae totus incubuit, hancque unam suis tradidit discipulis. Ipse summum bonum in virtute reponebat, qua una similes Deo homines esse possent, unumque Deum supra populares deos probabat. Cynici adeo ambitiose virtutem affectabant, ut, spreto omni vitae cultu, corruptos hominum mores summo rigore insectarentur. Dicti sunt Cynici a Cynosarge gymnasio, ubi versabatur Antisthenes, vel a graeca voce, quae canem significat, a canina mordacitate, qua in hominum vitia nullo discrimine invehebant, vel quod canum more in propatulo et vesci, et ventrem exonerare, et turpia patrare non dubitarent. Inter Cynicos est notissimus Diogenes Sinopensis, qui rerum contemptu, et invicto animo in adversis ferendis praeceptorem superavit. Diogenes ponitur cir. a. 414. ante Christum. Cynica schola fuit a Stoica absorpta.



28. Zeno Cratetis Cynici, Stilponis Megarici, et academicorum Xenocratis, et Polemonis auditor natus est a. 340. ante Chris. Cittii in Cypro insula. Porticum Athenis nactus Polignotti figuris ornatum, scholam ibi habuit, *Stoicam* a porticu dictam, et sapientiam docuit. Cynicorum more praesertim Ethicam excoluit; Deum unum admisit, fato tamen subjectum

corporis modificatione, vel harmonia quadam secrevisse. Sed Balthassar Poli (*apud Tennemann in notis*) putat, perperam Aristotelem inter rigidos Empiricos reponi, atque Platoni opponi, quia isti duo philosophi nomine tenus inter se adversantur, dicente Tullio (qq. Acad. l. 1.): *philosophiae forma instituta est Academicorum et Peripateticorum, qui rebus congruentes, nominibus differebant.*

ac veluti mundi animam (1); animam humanam igneis particulis conflatam asseruit; beatitatem in una constituit virtute; solum proinde sapientem beatum, liberum, regem, aliosque servos, et miseros credidit; animam sapientis post corporis mortem ad ultimum aetherem reverti, ceterorum vero animas per inferiores aeris regiones volitare jactitavit; vitia omnia aequalia, virtutesque omnes aequales posuit. Celebriores Zenonis discipuli fuere Herillius Chalcedonius, Cleantes, Crysippus, Diogenes Seleuciensis, Antipater Sidonius, Possidonius, quem Rhodi docentem Pompejus invisit, et Tullius audivit.

29. Aristippus Socratis auditor ortus Cyrene in Africa circ. a. 435. ante Christum sectam Cyrenaicam instituit. A casta Socratis doctrina deflectens, ultimum hominis finem in voluptate corporis, nihilque natura honestum, vel turpe agnovit. Ei successere Aristippus ex filia nepos, Theodorus Atheus, Epitimides, Hegesias, Annicerides, qui praeceptoris dogmatibus latam viam vitiis reserarunt. Siquidem *Theodorus* verbum sine sensu dicebat patriae amorem, ore inverecundo castitatem, justitiam, temperantiam ex albo virtutum expunxit, Deumque inficiatus est. *Hegesias* docebat. in hac vita voluptatum summam vinci a doloribus, inferebatque mortem esse vitae praeferendam, oportereque proinde hanc breviorem reddere. *Anicerides* voluptates esse quaerendas dictitabat, sed aliquas esse recusandas, si publica juberet salus. Cyrenaica schola absorpta est ab Epicurea.

30. Epicurus ortus Athenis a. 340. ante aer. vulg. ibi amoenum emit hortum, in quo docendi munus suscepit. In rebus sensibilibus Epicurus veraces credidit sensus, et ab his ideas derivari asseruit; in intelligibilibus criterium in clara rei notione reposuit; in rebus moralibus dolorem fugiendum, quaerendam vero esse voluptatem statuit. Licet haud desint, qui de voluptate corporis, uti Cyrenaici, Epicurum fuisse loquutum putant; post Gassendum tamen fere omnes eruditi credunt de placida mentis quiete, quam sine virtute dicebat consistere non posse, voluptatem accepisse. Quare plurimum commendabat temperantiam, fortitudinem, prudentiam, justitiam. Ceterum impie docebat, universum efformatum ex

(1) Imo videtur Zeno cum aliis Stoicis probasse *pantheismum materialem*, nempe docuisse, Deum esse hunc mundum, materiam ejus corpus, animam vero quoddam subtilissimum principium, uti notat Melillo (*Nuovo corso di filos. intellett. vol.* 3. *pag.* 246. *ediz. Nap.*). Notat quoque Baylius apud Galluppi (*Filos: della vol: volume* 4. § 7.), Stoicos fatum quidem admisisse, sed simul libertatem humanam fuisse tuitos.

turbulento, et fortuito atomorum concursu in inani infinito confuse volitantium; deos esse corporeos, beatos, nullam mundi curam habentes; animas humanas a subtilissimis atomis esse conflatas, ipsasque dissolvi post corporis obitum, *ceu fumus in altas aeris auras*, uti cecinit Lucretius. Atomorum doctrinam dicitur accepisse Epicurus a Moscho Phoenicio (§. 11.).

31. Pythagoras Samius, ex quo philosophia nomen accepit (§. 1.), Pherecydis discipulus, postquam Ægyptum, Phoeniciam, Chaldaeam, Persidem perlustraverat, in Italiam venit, in eam partem, quae magna Graecia dicta est, sedemque Crotone figens, magno auditorum affluxu philosophiam docuit. In duas classes partitus discipulos alios Acroaticos vocavit, seu Pythagoricos, quibus omnia suae scholae arcana pandebat; alios Acusmaticos, seu Pythagoreos, qui ejusde rebus moralibus publicas lectiones audiebant. Pythagoras sedulam navavit operam Arithmeticae, Astronomiae, Geometriae, Musicae, ipsique tribuitur demonstratio de quadrati hypothenusae cum quadratis cathetorum aequalitate. Deum unum, rerum omnium principium, omniaque permeantem admisit, eique deos minores, daemonesque subjecit. Animas humanas a Dei substantia delibatas, atque immortales asseruit, et post mortem de corporibus in corpora transire, et quandoque in bestias mitti professus est. Hinc esum carnium prohibebat, dicebatque, se in bello Trojano fuisse Euphorbum, qui revixit in Homerum, postea in pavonem, deinde in Pythagoram; licet, a comicis philosophos deridentibus hoc inventum fuisse, supponi possit. Mundum aeternum dixit, quem *cosmos*, seu ordinem appellavit. Discipulos nactus est Zeleucum et Carondam legislatores, Empedoclem Agrigentinum, Archytam Tarentinum, Tymaeum Locrensem, Philolaum Crotoniatem, cui tribuitur terrae motus circa solem doctrina. Tanti faciebant Pythagorae auditores ipsius auctoritatem, ut interrogantibus dicere solerent: *ipse dixit*; *ipse autem erat Pythagoras*. Creditur Pythagoras natus a. 584. ante aer. vulg., nempe a. 16. post Thaletem, uti docet Meiners (1). Ast ante Pythagoram in

(1) Docet Petrus Perrone (*apud Tennemann. Append. 3. Ediz. Nap.*) scholam Jonicam (§. 20.) a Pythagorica in eo differri, quod illa ope sensuum ab effectibus ad causas ascenderit, omnes cognitiones a sensibus derivaverit, veritatesque tantum contingentes probaverit; Pythagorica vero purae, abstractaeque cognitionis formis veritatem quaesiverit; mundum ideale respexerit, veritatesque tantum necessarias agnoverit. In schola Pythagorae *unitas* est pricipium tum materiae, tum formae, atque numeri habentur veluti rerum prin-

Italia scientias et artes coluere Etrusci, qui regimen, leges, religionem, propriumque habebant idioma. Quare non immerito recentiores eruditi demostrant, non Italos a Graecis, sed Graecos ab Italis, quos et ipse Plato in Sicilia consuluit, scientias, et artes accepisse, atque philosophiae historiam ab fontibus Italiae, quae ante Indos etiam doctrina florebat, esse eruendam (V. Cuoco in suo *Platone in Italia*, Romagnosi in nota apposita Introductioni *Manualis Tennemann*, Balthas. Poli in *supplemento quarto al Manuale di Tennemann*).

32. Xenophanes Colophone in Asia Minori natus circ. a. 617. ante aeram vulg., jam peragratis Italia, et Sicilia, Eleaticam sectam instituit, ex Elea dictam Magnae Greciae urbe, ex qua celebriores habuit auditores. Statutis principiis, *ex nihilo nil fieri*: *et scientiam dari non posse*, *nisi de re immutabili*, inferebat, quidquid est, esse aeternum, et infinitum, hocque omnia in se comprehendere. Quare mundum aeternum asserens unam statuit substantiam, in quo impio praeluserat Spinozae, auctorque sic extitit *idealismi subjectivi*, quo ponitur, solas ideas existere absque adjutorio sensuum, quin existant objecta. Ei successit *Parmenides Eleates*, qui duo elementa terram, et ignem statuit circa a. 460. ante Christum, terram elementum ponderosum, negativum, ignisque limitationem; ignem vero elementum penetrans, positivum, reale, intellectuale, voluitque aeternum, immutabile, indivisibile, replensque spatium, quidquid existit, uti ait Tennemann; terramque demum in universi centro posuit (1); *Melissus Samius*, qui cum suo praeceptore universum infinitum, et sine vacuo ratus est; docuitque, reale non posse neque produci, neque interire, esseque sine principio et fine, unum, immutabile, indivisibile, partibus carens, demum es-

cipia; ipse enim numerorum proprietates in objecta transtolit, atque in naturae leges mathematicas trasmutavit formulas. Pythagorae doctrina tamen obscura omnino reputatur tum quia nec ipse, nec ejus discipuli aliquid scripserunt; tum quia indoles illius doctrinae erat abstractio, et ideale; tum quia multae notitiae apocryphae de vita, doctrinaque ipsius circumferuntur; tum quia non facile secerni potest ejus doctrina ab eo, quod ab discipulis est additum.

(1) Non desunt eruditi, qui ex eo probare nituntur, Parmenidem unum ens immortale, independens, aeternum admisisse, quod in ipsius poemate, quod Bessarion latine reddidit, legatur:

Ingenitum quando est, sit et immortale necesse,
Ingenitum, immotum, immensum, sine fine perenne,
Quod nec erat, nec erit, totum nunc esse fatendum est
Unum, continuum. . . . .

se apparentiam, quod sensibus offertur; *Zeno Eleates*, quem Aristoteles dialecticae auctorem dicit, quique florens circa a. 460. ante Christum, statuit nihil esse *reale*, neque concipi posse objectum divisibile, motum in spatio, ipsumque spatium; *Leucippus*, qui a. 500. circ. floruit, quique praeter atomos admisit vacuum, et motum, docuitque, omnia concursu vel separatione atomorum nasci, vel interire, atque animam esse atomorum aggregatum, mundumque ex fortuito atomorum concursu esse conditum; *Democritus Abderites*, qui cic. a. 460. tempus negans tribuit aeternitatem atomis, spatio, motui, durationi, cum Leucippo de anima sensit, ejusque vulgavit doctrinam, qui tamen, audito quocumque fortunae casu, in risum erumpebat, oculosque sibi eripuit, ut in contemplatione versaretur; *Heraclius* Ephesinus, qui ignem elementarem rerum principium posuit, et de omnibus flebat, vitamque suam in silvis ob hominum odium traduxit; *Protagoras* Abderites, qui Athenas reliquit, quia de diis ei dubitanti mors minabatur; *Anaxarchus*, qui magna fortitudine tormenta tulit, quibus eum subjecit tyrannus Nicocreon. Ceterum duplex schola Eleatica asseritur, *metaphysica* et *physica*, quarum prima ad idealismum, altera ad materialismum ducebat.

33. Pyrro aetate paulo Aristotele posterior, nempe circa a. 340. ante aer. vulg., de omnibus perpetuo dubitandum esse dicebat. Sectatores ejus modo Pyrronici a praeceptore dicti sunt, modo Aporetici a dubitatione, modo Sceptici ab inquisitione veritatis numquam assequendae, modo Acataleptici a rerum incomprehensibilitate. Docuit proinde Pyrrho, mentem hominis contentam esse debere de apparentiis; boni vero, malique discrimen a legibus, moribusque hominum esse repetendum. Hanc doctrinam, demortuo Pyrrhone, amplexi sunt Arcesilaus, et Carneades mediae, novaeque Academiae magistri (§. 25.), et qui ei successere, Eurilocus, Ptolomaeus Cyrenensis, aliique plurimi. Ceterum non desunt, qui mitiori in sensu Pyrrhonem exponunt.

34. Omissis hic veteribus Etruscis, de quorum doctrina multa congerunt eruditi, de Romanis aliquid dicendum superest. Nullus inter ipsos philosophus, dum Reges et Consules dominabantur, recensetur. Ast Graecia devicta *victorem vicit*, *artesque intulit agresti Latio*. Incensi proinde latini graecae philosophiae studio, variis sectis nomina dederunt. Academiam coluerunt M. Brutus, M. Terentius, Varro, M. Piso, Tullius; Stoicam professi sunt Q. Lucilius Balbus, Scipio Africanus, Mutius Scaevola, M. Cato, Seneca, Epicte-

tus; Epicuream sunt amplexi Torquatus, Vellejus, Trebatius, T. Pomponius Atticus, Lucretius Carus, qui eleganti carmine Epicuream doctrinam collegit; Peripateticam tenuerunt Tyrannio. Andronicus Rhodius, Plinius senex, Alexander Aphrodisaeus. Ceterum Platonis placitis praecipue inhaerebant Romani, utpote quae regundae Reipublicae aptiora videbantur. Quare Tullius 1. Tuscul. c. 17. dixit: *errare mehercule malo cum Platone, quam cum aliis vera sentire.* Adde, quod cum Philosophia Romanorum esset *essentialiter* practica, uti probant multa jurisconsultorum monumenta nobis relicta, aliae scholae praeter Platonicam parvum profectum habere, et facere poterant, uti notat Poli (*nota apud Tennemann vol.* 2.). Imo et multi veteres Ecclesiae Patres Platonem sequebantur, quia magis ad instituta Religionis Christianae accedere credebatur. Sed haec satis de scholis graecis.

EPOCHA III.

DE PHILOSOPHIAE VICISSITUDINIBUS AB ECLECTICIS PHILOSOPHIS AD ILLIUS INSTAURATIONEM.

35. Dum sectae, de quibus in praecedenti epocha disseruimus, inter se dimicarent, scientiam suam praeclaris ditarunt inventis Mathematici, quos inter celebriores fuere Aristarchus, Euclides, Eratosthenes, Archimedes, Ipparchus, Ptolomaeus, qui scholam Alexandrinam, quam Reges Ægypti instituerant, illustrarunt.

36. Inter haec Evangelica lux, quae legitime cum Hebraeorum philosophia (§. 6. 8.) connectitur, hominibus affulsit. Puduit Ethnicos philosophos, suas doctrinas Christianis esse inferiores veritatibus, quae Deum secernunt a mundo, quem creatum a nihilo praedicant. Quare ad ignominiam vitandam veterum philosophorum placita ita explicare conati sunt, ut ab illis cognita dicerent, quae Christiani docebant, atque systema confecerunt oppositа conciliandi, *syncretismum* (1) appellatum. Ast alii minore praeoccupati illusione,

(1) *Syncretismus* quondam usurpatus ad ineundum urbium Cretae foedus postea est translatus ad exprimendam informem diversorum systematum unionem, quae a Brukero vocatur *absurda methodus, atque detestanda syncretismi pestis.*

ab unoquoque veterum philosophorum selegerunt quaedam, quae sibi meliora videbantur, unumque efformarunt philosophiae corpus, *eclecticismum* dictum, cujus auctor saeculo Ecclesiae secundo, Alexandriae dicitur Potamus. Plurimi Christiani eum sequuti sunt, inter quos praestiterunt Athenagoras, Pantenius, Clemens Alexandrinus, Origenes, Justinus Martyr, Anatolius Laodicensis Episcopus, Arnobius, Irenaeus, Lactantius, Synesius, Eusebius, et ipse Augustinus.

37. Ast, quoniam nil sanctum est, quo non abutantur impii homines, eclectica philosophandi ratio in veritatis, Religionisque detrimentum conversa est (1). Ammonius enim Sacca Platonem sequutus, Alexandriae scholam erexit Juniorum Platonicorum, docuitque nulla fuisse a Christo tradita, quae laterent Platonem. Haec secta, quae Graeciam, Syriam, Italiam, aliasque R. Imperii provincias pervasit, sectatores habuit infensissimos Religionis hostes, Photinum (2), Porphyrium, Jamblychum, Hieroclem, Simplicium, quorum doctrinae Julianum Imperatorem contaminarunt, corruperunt, atque apostatam reddidere. Haec schola Neo-Platonicorum consistebat in rituali exorcismis, incantationibus, atque nocturnis, superstitiosis, subterraneis, magicisque operationibus referto, uti ait Diderot in Enciclopedia. Ammonius Sacca florebat circa a. 193 post aer. vulg.; Photinus natus est Nicopoli a. 205; Porphyrius a. 233, et Romae Photinum audivit; Iamblychus mortuus est a. 333; Simplicius florebat circa medium saec. sexti; Julianus mortuus est a. 363. fuitque discipulus Crysanti Sardensis, qui Neo-Platonicorum somnia docebat. Discipulus Ammonii dicitur etiam Longinus natus Athenis a. 213, atque ejusdem sectae promotor asseritur Proclus natus Constantinopoli a. 412, et mortuus a. 485. Creditur cum Neo-Platonismo

(1) Tanti mali multae causae afferuntur, nempe casus graeci spiritus; confusio spiritus Graecorum cum illo orientalium: *enthusiasmus* orientalium vestigia premendi; status dissolutionis Imperii R.; scepticismus, qui probatis veritatibus adversabatur; platonismus Ethnicorum Christianae Religioni oppositus; timor ex proxima polytheismi ruina exortus. Vide Tennemann (*Ediz. Nap. period. primo vol. 2.*).

(2) *Photinus unitatem*, carentem intelligentia, libertate, omnibusque attributis, constituit principium necessarium, atque omnis realitatis fontem; dictitavit, *unitatem* ab aeternitate extitisse, atque a Deo emanasse; ab *unitate* emanasse *Mentem*, sive *Intellectum*; ab Intellectu *animam supremam*; ab anima suprema mundi sensibilis *animam*, quae est principium vitae, et motus. Videtur Pythagoram imitatus (nota ad §. 31), atque praelusisse Schellingio (nota ad §. 68.). Vide Galluppi (*lettera ad un amico-Panteismo di Schelling, e di Hegel*).

incepisse etiam *Kabbala*, nempe quaedam imaginaria sapientia divina, secreta traditione inter Hebraeos propagata, cujus historia fabellis scatet. Dicitur vero *Kabbalae* auctor, vel promotor Rabbinus Akibha mortuus a. 138. post aer. vulg. In ipsa praeter innumeras fabulas asseritur lux quaedam primitiva, ex qua, uti tela ab aranea, omnia, scala semper decrescenti, emanant. Vide de his Tennemann. Ceterum, sublato e vivis Juliano, secta cecidit, et simul studium artium ubique languere visum est, quod Sophistarum ope auctum videbatur; sed philosophiae Patrum locum cessit (1).

38. Quapropter vix Boetius, (2) paucique Ecclesiae Patres in philosophia peripatetica exculti saeculo quinto recensentur, atque in aliquibus coenobiis usque ad octavum saeculum philosophia delitescere visa est. Tandem sub octavi saeculi finem Arabes, Aristotelis codices adepti, eos in patrium transtulerunt idioma, atque in Hispanias ab ipsis occupatas, illos variis illustratos commentariis, praesertim Avicennae et Averrois, invexerunt, scholasque erexerunt. Devictis deinde Arabibus, opera Alcuini Carolus M., conquisitis undique sapientissimis viris, pluribus in locis Occidentis Imperii collegia, academias, scholas instituit; sicque philosophia, quae saeculo decimo per Europam progressa est opera Gerberti, qui Pontifex fuit nomine Silvestri II, e suis emersa est tenebris. Aristotelis doctrina tamen ubique sceptrum tenebat, quae,

(1) Docet Balthassar Poli apud Tennemann tunc temporis quinque *Eclecticismi* scholas floruisse, nempe *Alexandrinam*, quam fundavit Potamus, quamque Christiani Alexandriae morantes secuti sunt; hancque ortum dedisse mysticismo Ammonii Sacca; *Athenienses*, quae opera Plutarchi Atheniensis philosophiam Orphicam, Ermeticam, Pythagoricam, Platonicam, Aristotelicam conciliare satagebat; *Romanam*, quae fuit verus syncretismus; *Christianam*, quae a philosophis colligebat, quidquid Religioni Christianae favebat, eratque verus Eclecticismus; *Gnosticam*, quae jactans, se scientiam Dei supremam, et arcanam habere, dogmata Hebraeorum, Chaldaeorum, Persarum, Graecorum, atque Christianorum miscuit. Inter Gnosticos recensentur saecul. 1. Simon Magus, Menander, Cerinthus; saec. 2. Carpocrates, Valentinus, Marcion, Cerdon, Bardassanes; saec. 3. Manes, aliique, qui in tres sectas sunt divisi. Prima Deum unicum principium probabat, ex quo, tanquam ex fonte lucis, diversi spirituum ordines emanant, qui dicuntur *Æones;* altera duo principia, bonum, et malum perpetuo bello inter se pugnantia admittebat; tertia unicum principium lucis, et tenebrarum docebat; sed hae sectae in aliis somniis conveniebant, praecipue in admittenda materia veluti principio malo.

(2) Boetius natus a. 470. et jussu Theodorici regis ob falsos perduellionis rumores interfectus aliqua Aristotelis opera vertit, atque Papiae carceribus detentus non periturum opus *De Consolatione Philosophiae* scripsit.

quia omnes occuparat scholas, scholastica dicta est, ipseque Aristoteles per excellentiam *philosophus* est appellatus. Ceterum non defuerunt saeculo XI, XII, XIII, qui lumine revelationis illustrati de Deo, atque de officiis praeclara, et pretiosa dixerunt. Noti quippe sunt Luitprandus, Lanfrancus, S. Anselmus Cantuariensis, S. Petrus Damianus, S. Anselmus Lucensis, Bruno, Petrus Diaconus, Landulphus, S. Bernardus, Gherardus Cremonensis, Albertus M., S. Thomas, S. Bonaventura, Joannes Duns Scotus, aliiqué, qui Theologiae, Mathematicae, Jurisprudentiae, Medicinae sedulam navarunt operam.

39. Verum doctores illius temporis Aristotelis doctrinam minime expendentes, sed de ratione eum interpretandi dumtaxat contendentes, in tres classes divisi sunt. Prima erat *Nominalium*, qui ideas universales ne mentis quidem conceptus reputantes, eas tantum verba, nomina, vocisque flatus dixerunt. Creditur Stilpo Megarensis (§. 22.) sic prius tenuisse, postea saec. XI. Roscellinus, dein Occhamus ex Minoritarum familia saec. XIV, ac demum Hobbesius, Hume, Stewart. Secunda erat *Realium*, qui ideas universales sua objecta habere in mente, et in natura dictitabant. Gulielmus de Champeaux contra Roscellinum hanc sententiam est tuitus, ipsaque Platoni etiam tribuitur. Tertia erat *Conceptionistarum*, media inter sectas Nominalium, et Realium, quae conceptus mentis ideas universales statuens, docuit, ipsas exprimere naturas, et proprietates in individuis determinabiles. Haec sententia, quae vera est, tribuitur Aristoteli, Abaelardo, Scholasticis, Lockio. Vide Rosminium (*Saggio sull'origine delle Idee vol. I. c. 4.*)-*Conceptionistae* in plures et ipsi abierunt familias, quarum praecipuae fuerunt Thomistica, et Scotistica, quae in iis, quae minime dogmatibus opponuntur, inter se aliquando decertarunt.

40. Ast irretiti illi praeceptores *formalitatum*, *haecceitatum*, *realitatum*, *passionabilitatum*, *futuritionum*, *occultarum qualitatum*, *apathiae*, *sympathiae*, *antipathiae* vocabulis, Logicam, Metaphysicam, Physicam densissimis obvolvebant tenebris. Sed linguarum, artium, Medicinae, Jurisprudentiae, Theologiae, licet et ipsae etiam subtilitatibus refertae, studium minime languebat, cum praeclarissimi viri, quorum nomina longum enarrare foret, in illis excolendis toti incumberent (1).

(1) Docet Tennemann (*vol 2. periodo 2.*), scholasticam, quae sic dicta est a scholis, a Carolo Magno (§. 38), qui regnavit ab anno 753 ad a. 775,

41. Decimo tertio saeculo instar insoliti sideris fulsit Rogerius Baco, ex Minorum familia, natus a. 1214, et mortuus a. 1294, qui Astronomiam, Chemiam, Mathematicam, Medicinam, Mechanicam excolens, cameram opticam, speculam, telescopium, pulverem nitratum suo studio invenit, aut perfecit, dictus proinde Doctor mirabilis. Decimo quarto vero, et decimo quinto saeculo ad eclecticam philosophandi rationem aliquantulum reversi suut illi praeceptores, opera praesertim Dantis Aligherii, Francisci Petrarcha, Joannis Boccaccio, maximorum magistrorum poetarum Italorum. Quae philosophandi ratio longius progressa est, ex quo graeci in Concilio Florentino interfuere, atque deinde, capta a Mahomede II. Constantinopoli, petierunt Italiam, secum philosophorum veterum scripta ferentes. Neque omittendum est, a saeculo IX. ad XV. quae barbara solent appellari, plura fuisse inventa. Nam a. 876. Georius presbyter organum hydraulicum invenit; Rogerius Rex Siciliae artem conficiendi

institutis, seu novum philosophandi modum, initium sumpsisse opera Alcuini mortui a. 804 Notat vero Balthsassar Poli, Scholasticam fnisse *Theologicam*, adhibitam in Theologia; *Arabicam*, quae erat ipsa Aristotelia Philosophia ab Arabibns commentata; et *Philosophicam*, in Logica, et Metaphysica adhibitam. Huic Scholasticae finem ponit Cousinns in Bacone, vel Cartesio; Brukerus in Luthero; alii vero tenent, post Baconem etiam in nsu fuisse philosophicam Scholasticam. Ipse Tennemann Scholasticam in plures dividit epochas, in quarum prima ponit Alcoinum; Rhabanum Maurum mort. a 856; Ioannem Scotum Origena, qui floruit circa a. 877, Deumque omnium rerum substantiam statuit; Lanfrancum natum Papiae a. 1005; haereticum Berengarium, qui saec. XI. dogmatizavit; Petrum Damianum Ravennatem nat. a. 1001; Anselmum Cantariensem mor. a. 1117; in secunda recenset Roscellinum (§. 39), qui florebat a. 1089; Petrum Abaelardum mort. a. 1142; Hugonem Victorinum nat. a. 1092, Petrum Lombardum, dictum *Magistrum sententiarum*, mort. a. 1164: in tertia statuit Alex. Halensem, *doctorem irrefragabilem*; Albertum M. ex Ord. Praed. nat. cir. a. 1205; S. Bonaventuram ex Minorum Familia, natum a. 1221: S. Thomam Aquinatem nat. a. 1225; Henricnm Gandavensem mort. a. 1293; Ioannem Duns Scotum ex ord. Minor. nat. a. 1275; Ægidium Colonna Romanum nat. a. 1247; Franciscum Mayronnm, et Rogerium Baconem ex Minor. ord.; Raimundum Lullum, aliosque, qui secuti sunt commentaria super Aristotelem facta ab Averroe, qui nat. Cordubae cir. a. 1217. erat Mahometi superstitioni addictus; a Mose Maimonides Hebraeo, qui etiam Cordubae natus est a. 1350, atque ab aliis: in quarta ponit Occhamum mort. circa ann. 1343; Petrum Card. de Alliaco nat. ann. 1350, aliosque plurimos. Cousinus vero in tres epochas partitur scholasticam, unam, in qua Theologiae ancilla fuit Philosophia; alteram, in qua Theologiae Philosophia sociata est: tertiam, in qua Philosophia a Theologia est distracta. Verum hujusmodi epochae respondantne rei veritati? Sic quaerit, et merito quaerit Poli *in notis* apud Tennemann.

serici faciliorem a. 1130; Alexander Spina ex Ord. Praed. a. 1280 usum conspicillorum; usus chartae lineae coepit a. 1300; ars typographica inventa est a. 1442; novi orbis detectio a Christophoro Columbo facta a. 1492. etc. etc.

42. Non novas scholas tamen condiderunt, sed veteribus adhaeserunt illi doctores. *Platonicam* quippe professi sunt *Gemistus Pleto*, qui, quia deprimens Aristotelem maxime Platonem venerabatur, mutata *a* in *e*, *Pleto* dictus est; et *Bessario*, qui duo Florentiam venere a. 1438; *Joannes Picus Mirandulanus* m. a. 1494; *Marsilius Ficinus* m. a. 1499; *FranciscusFabricius* Ficini discipulus m. circa finem saec. XVI; aliique, qui Magiae, et astrologiae praestigiis abrepti sunt: *Epicuream* excitarunt Crysostomus Magnenus circa medium saec. XVII; Sannertius mor. a. 1637; Gassendus m. a. 1655, qui tamen eam purgarunt ab iis, quae Religioni sunt adversa: *Aristotelicam* vero secuti sunt aliqui Graeci, Fracastorus, Piccolominaei, aliique. Plurimum in Italia Aristotelem, et scholasticos insectati sunt Franciscus Patritius m. a. 1597; Bernardinus Telesius m. a. 1588; Laurentius Valla Romanus m. 1457, qui Aristotelis categorias ad tres coarctavit, nempe ad *ens*, *qualitatem*, *et actum*; in Gallia Petrus Ramus m. a. 1572, et Petrus Gassendus; in Germania Rodulphus Agricola m. a. 1485, et Daniel Hofmannus m. a. 1600; in Hollandia Erasmus m. a. 1536. Petrus Pomponatius natus Mantuae a. 1462., et ejus discipuli Simon Portius m. a. 1553, Paulus Jovius m. a. 1552, Julius Caesar Scaliger m. a. 1559, Jacobus Zabarella Patavinus m. a. 1589. eo tempore de animae humanae immortalitate philosophice non senserunt. Floruerunt tunc temporis et Thomas Campanella Calaber m. a. 1639, Hieronymus Cardanus Papiensis m. a. 1501, Iordanus Brunus Nolanus m. a. 1600, obnormis ingenii viri, qui ante Cartesium a dubio generali incipiendum putarunt, atque a factorum conscientiae examine procedendum, sed postremus de Religione non bene sentiebat. His accense Angelum Poliziano m. a. 1496, et Nicolaum Card. Cusanum m. a. 1464. Aristoteles tamen adhuc habebatur Philosophiae magister, a quo recedere nefas erat. Causae autem, cur tanto tempore ejus jugo ingenia subjecerint, recensentur multae, nempe parvum exercitium in cernendo systematico cognitionum nexu, positivarum cognitionum inopia, nimia linguarum ignorantia, quaedam aristotelicae doctrinae cum Theologia conformitas, syllogistica methodus in tradenda veritate facilior, consuetudo auctoritati etiam in rebus philosophicis deferendi, philosophia Peripatetica cursum fere

integrum complectens phisophicum. Vide Tennemann (*vol. II. p. 3. periodo* 3.). Interim fervebant ingenia, mentes excitabantur, animi hinc inde pugnabant, quasi nova appropinquaret epocha, in qua philosophia alios haberet cultores animosiores. Ita se res habuerunt usque ad saeculum XVI, in quo philosophiae instauratio est incepta.

EPOCHA IV.

A PHILOSOPHIAE INSTAURATIONE AD HAEC USQUE TEMPORA.

43. Saeculis XVI. et XVII. copiosis ob naturalia inventa, despectis inanibus subtilitatibus, ad conterendum peripateticae servitutis jugum, atque ad jucundissimum naturae spectaculum, ejusque arcana exploranda plures docti omnem contulerunt operam, philosophiae restauratores communi suffragio conclamati. Eminet inter ipsos Galilaeus Galilei, qui ortus Pisis a. 1564. recentioris physicae pater non immerito censetur. Siquidem, licet in Astronomia eum praecesserint Tychonius, Keplerus, Copernicus, tamen telescopii inventor, ni hanc gloriam Rogerio tribuamus (§. 41.), habetur, ac diligentissimus caeli observator. Ipse vidit Jovis Satellites, Veneris phases, Lunae prominentias, Solis maculas, numerumque stellarum ingentem detexit. Ipse, falsis demonstratis Aristotelis placitis de gravitate, et motu corporum, in mechanica, et in hydraulica plura invenit, leges descensus gravium, leges projectionis, et penduli oscillationes determinavit; aerisque pondus ostendit, adjutus opera clarissimi Torricelli ejus discipuli. Ipse motum terrae circa solem, quod Pythagorae, aut Philolao Crotoniati primum tribuunt eruditi (§. 31.), et postea a Copernico in lucem protractum dicitur, observationibus diligenter institutis communivit. Eum ex Italia sequuti sunt Torricellius, Castellius, Vivianus, Cavalerius, Magalottus, Montanarius, Cassinus, Fridericus Cesi; et ex aliis regionibus Baylius, Guerrikius, Levennoekius, Ugenius, aliique multi, qui Mathematicam, Astronomiam, Physicam, Historiam naturalem illustrarunt, auxerunt, ornarunt.

44. Franciscus Baco Baro de Verulamio natus a. 1561 in Anglia, omnium scientiarum instaurationem proclamans, usus analysi, inductione, analogia, experientia constanti,

methodico dubio, philosophorum vitia detexit, veramque scientiae viam aperuit. In suo *novo organo* praejudicia removere sategit, quae *idola* tribus, *idola* specus, *idola* fori, *idola* theatri appellat, iterque pandit ascendendi per gradus continuos a particularibus ad axiomata minora, deinde ad superiora, demum ad generalissima. In libro de *dignitate*, *et augmento scientiarum* moralem philosophiam in *Ethicam*, et *Doctrinam civilem* divisit, illamque in duas partes, quarum prima agit de bono morali, et hominum officiis, altera de modo animi excolendi ad virtutem consequendam. De doctrina civili tantum innuimus, quod ex ea Grotius juris publici ideam sumpsisse credatur. Animam sensibilem brutis et hominibus, rationalem hominibus tantum, Aristotelico jugo nondum excusso, tribuit. Aureas sententias de Theologia edixit, quarum non est praetereunda illa: *leves gustus in philosophia movere fortasse ad atheismum, sed pleniores haustus ad Religionem reducere.* Hujus indolis sunt omnia fere Baconis opera, in quibus tamen ambages saepe inextricabiles inveniuntur (1).

45. Non multo post floruit in Gallia Renatus Cartesius natus a. 1596, qui fervido suo ingenio indulgens systema confecit ex parte fictitium, magno tamen plausu exceptum. Meditationes suas a corrigendis praejudiciis de praeconceptis opinionibus incipit, primumque dubitandum esse monet. Deinde animadvertit de seipso dubitare non posse, quia, si cogitat, atque dubitat, certo existit. Ast non recte progreditur. Statuit siquidem, *omnes res*, *quae clare*, *et distincte concipiuntur*, *veras esse*, ex quo infert, Deum existere, quia claram, et distinctam ideam Dei habet. Porro has claras, et distinctas ideas a Deo animabus, dum crearentur, esse impressas, quemadmodum in cera sigillum, docuit, Platonis ideas innatas in lucem revocans. Animae essentiam in perenni cogitatione, sicut in extensione materiae essentiam posuit; causas secundas viribus expoliavit; corpus, animam-

(1) Docet Perrone (*apud Tennemann in nota*) suffultus Humii sententia, Baconem a Galilaeo in hoc alium fuisse, quod ille vestigia signarit, iste creator fuerit philosophiae experimentalis, et inductivae; ille praecepta dederit, iste methodum statuerit in scientiis naturalibus proficiendi: ille viam theoreticam, iste practicam in veritatis inquisitione indigitaverit; ille matheseos omnino ignarus Copernicanum systema spreverit, iste ad miraculum mathesi instructus illud systema novis communiverit argumentis; ille stylo duriusculo, et affectato, iste amaeno, vivacique sit usus. Imo animadvertit Poli (ibid.), methodum inductivam a Bacone adhibitam fuisse a Thelesio, a Iacobo Acontio, a Leonardo Vinci, Viris Italis, inventum.

que Deo occasionem dare consentientes actiones perficiendi, amota mutua corporis, animaeque operatione, effutivit, systema occasionalistarum cudens. Demum mundi totius opificium per vorticosum quemdam materiae motum explicare infelici exitu aggressus est. Dignus est Cartesius ea praecipue de causa, quod jugum servitutis in Logica, Metaphysica, Ethica amoverit; ast dubium universale a se statutum ad Protestantismum, imo ad Atheismum ducere videtur. Si enim de omnibus dubitandum unicuique foret, etiam de demonstrationibus mathematicis, de corporibus, de Deo, de terra, de caelo (Princ. de la Phil. p. 1.), licet religionem, et moralem ore tenus exciperet, quomodo verae sibi essent his de rebus veritates evidentes? Et concipiunturne *clare* et *distincte* omnes res ad Religionem, et mores spectantes? Jure proinde ejus philosophia damnata fuit a S. Congregat. Indicis die 20. Novembris 1663. V. Vincentius Gioberti (*Introduzione allo studio della Filosof. t.* 1.). Non desunt tamen, qui Cartesium mitiori in sensu interpretantur (1).

46. Cartesio sese opposuit Petrus Gassendus. Natus hic a. 1592, ac Mathesis praeceptor in Parisiensi Academia institutus, atomisticum systema instauravit; innatas ideas inficiatus est; quoddam reale commercium animam inter et corpus praenovit; quatuor mentis operationes indigitavit, ideam, judicium, ratiocinium, methodum. Epicuream philosophiam refecit, sed in pluribus emendatam, novisque additamentis illustratam. Ipse, cribrata, in multisque refutata Aristotelis Philosophia (§. 42), suam cudit divisam in *Physicam*, ad quam retulit metaphysicam, et Theologiam, in *Ethicam*, et *Logicam*, quam ultimam uti Introductionem ad Philosophiam, non ut ejus partem, respexit. Probavit quidem Gassendus animam rationalem, spiritualem, et liberam, sed huic ministram fecit animam materialem, animalem, praeditam imaginatione. Demum statuit, virtutem esse medium, quo itur ad summum

(1) De Cartesio aliqui dubitant, utrum vere auctor systematis *occasionum* dicendus sit. Certe multi eum defendunt ea praecipue de causa, quia arctissimum posuit nexum animam inter, et corpus, et quia numquam Deum cogitationum nostrarum fecit causam. Sed extra omnem dubitationem est, ejus sectatores *occasionalismum* admisisse, ratos, idem Cartesium tenuisse, utpote qui, quamdam oppositionem inter spiritum, et materiam ponens, statuit, ab externo nullam nobis posse repraesentationem advenire. Multi quoque defendunt Cartesium a scepticismo, suffulti verbis ipsius (*De Methodo n.* 3.): *Sceptici dubitant, tantum ut dubitent: contra ego totus in eo eram, ut aliquid certi reperirem.* Vide Martini (*Storia della Filos. discor.* 101. *n.* 2. *contra Gioberti.*)

bonum, atque nostras ideas partem a sensibus, partim ab intelligentia derivari. Vide Martini (*disc.* 10).

47. Cartesianam doctrinam sunt amplexi Iansenistae e Portu Reali, Antonius Arnauld (1), Nicole, Blasius Paschal, quibus *ars cogitandi* tribuitur, necnon Silvanus Regis, Antonius le Grand, aliique. Acerrimus vero Cartesianae doctrinae patronus fuit Nicolaus Malebranchius, qui natus a. 1638. omnia fere sui magistri placita eloquenti oratione ampliavit. In libro *de inquisitione veritatis* primum docet, sensus minime nos inducere in errorem, sed nos ipsos errare per falsam applicationem perceptionum, quas a sensibus accepimus. Deinde optima dicit de vitiis imaginationis, eorumque causis; ast postea plurima effutit, quae fanatismum sapiunt. Nam cum Cartesio occasionalistarum systema, ac criterium in perceptione clara, et distincta statuit, et docuit, ideas a Deo procedentes, quas anima contemplatur, esse diversas substantias ab ipsa anima distinctas. Imo ulterius progressus credidit, homines in Deo contemplari ideas rerum, in Deo cognoscere corpora, in Deo animas humanas. Quare inferebat, se ideo credere corporum existentiam, quia fides docet a Deo mundum esse creatum. Ast ideas innatas inficiatus est, et Cartesianum dubium (2). Male quoque aliqui rentur, Malebranchium Spinozismo favisse; cum minime animas cum Dei

(1) Qui tamen praecipue contradixit Malebrauchio, fidissimo Cartesii discipulo.

(2) Ut omnes effectus a Deo peudere concluderet Malebranchius, statuit, 1. corpora aeque in quiete, et in motu concipi posse; 2. ideoque ideam corporis illam motus non contiuere; 3. ac proinde uunm corpus non posse aliud corpus in motum ciere; 4. imo neque aliquem spiritum finitum posse corpus movere, ueque corpus aliquod in animam sensationes producere, quia diversae naturae sunt anima, et corpua, nullosque est nexus inter spiritus voluntatem, et corporis motum; 5. ac propterea ueque voluntatem, neque aliam quamcumque auimae facnltatem posse ideas producere; 6. nullam proinde esse in homine vim produceudi motum, cudendique ideas; 7. ideoque omues effectus in natura produci a perfectissima, et omnipotenti Dei voluntate, quae nna est omnium effectuum caosa; 8. hinc causam naturalem nou esse veram, et realem causam, sed *occasionalem*, quae auctorem naturae movet ad agendnm hoc vel illo modo, ~~hac vel~~ illa opportunitate-Vide Galluppi (*Lett. Filos. lett.* 10.)-Haec est ratio, cur aliqui non Cartesio (nota ad §. 45.), sed Malebranchio *de causis occasionalibus* systema tribuant, cum non ille, sed iste docuerit, Deum *occasione* perceptionum in anima excitare motus in corpore, et *occasione* motuum in corpore excitare sensationes in anima, ablato animam inter, et corpus mutuo commercio. Dicebat vero, animas videre in Deo ideas omnes, tum quia in Deo sunt omnium rerum ideae archetypae, tum quia Deo adeo conjunctissimae sunt animae, ut ille istarum locus dici queat, uti spatium est corporum locus ut ipse docebat.

substantia confuderit, imo substantias diversas eas statuerit. Gerdilio viro clarissimo Malebranchii placita renovare placuit saeculo sequenti (*V. Gioberti loc. cit.* §. 45.)

48. Coevus illis viris fuit Thomas Hobbesius Anglus natus a. 1588, qui est patrocinatus tyrannidem; justum, et injustum ad conventiones reduxit; vimque potentium jus in debiles appellavit. Hinc docuit, homines ex mutuo timore esse consociatos in societate, ideoque omnem societatem oriri a vi, aut voluntate; ac propterea statum hominis primum fuisse belli statum; formas regiminis mixtas repugnare, atque Monarchiam, quam cum tyrannide confudit, Democratia, et Aristocratia esse praestantiorem. Insuper statuit, infinitum non posse concipi, sed esse fidei objectum, atque Religionem in cultu externo consistere, esseque publicam vel privatam, illam civilibus legibus suffultam, istam arbitrariam. Vide Martini (*disc.* 10.). Omnes ideas a sensibus esse, memoriam, ac imaginationem sensationes debiliores dixit. Omnem ab homine auferens spiritum, animam in motu partium, quam perceptionem sensationum dixit, reposuit.

49. Ast novam philosophiae faciem, desinente saeculo XVII, dederunt Isaacus Newtonus, Lockius, Leibnitius. Primus natus in Anglia a. 1642. Galilaei doctrinis insistens duas illas materiae universales leges reperivit, inertiam, et attractionem. Deinde statuit, 1.° non plures admittendas esse naturalium rerum causas, quam quae verae sunt, earumque phaenomenis explicandis sufficiunt; 2.° effectuum naturalium ejusdem generis easdem esse causas; 3.° qualitates corporum, quae intendi, et remitti nequeunt, et quae omnibus, in quibus experimenta instituere licet, corporibus competunt, pro corporum universorum qualitatibus haberi posse. Attractionis vim in planetis contemplans, systema Copernicanum solido niti fundamento perbelle prospexit; molecularem affinitatem chemicam expertus est; lucem esse igneas particulas a corporibus luminosis avulsas demonstravit, licet alii recentiores putent, lucem esse phaenomenon, quod oritur ex aethere subtilissimo undique pervadente, atque a corporibus, quae luminosa dicuntur, excitato; colorum causam, naturam, diversitatem repetitis experimentis explicavit. Totus in Mathesis, et Physicae studiis illustrandis, adeo naturae mirabilia suspiciebat, ut specialissimam erga Deum venerationem pro opportunitate praeseferret. Cujus vestigia sequens Boyleus ejus discipulus, cathedram instituit ad Deum, ejusque cultum defendendum destinatam, et Clarkius alter ejus discipulus,

profundissimam existentiae, et attributorum Dei demonstrationem edidit.

50. Joannes vero Lockius in Anglia natus a. 1632. Logicae, et Metaphysicae praecipue operam dedit. Opus ipse edidit *de intellectu humano*, in cujus primo libro innatarum idearum systema destruere conatur; in secundo omnes ideas per sensationem, et reflexionem statuit; in tertio de idearum agit *signis*, quorum usum tum ad explicandas ideas aliis, tum ad illas in memoriam revocandas, ut eis in ratiocinio utamur, demonstrat; in quarto de cognitionibus humanis loquitur, quarum gradus, extensionem, certitudinem, probabilitatem evolvit, erroresque patefacit. Quare totus est Lockius ad destruendas ideas innatas a Cartesio probatas (§. 45.), ac proinde ad statuendum principium, *nihil esse in intellectu, quod prius non fuerit in sensibus*, ex quo deducit, *animam esse tabulam rasam*. Ceterum probavit et ipse ideas, et cognitiones *a priori*, quae ab experientia non proficiscuntur, uti sunt veritates mathematicae. Vide Galluppi(*Lett.filos.lett*.3.). Deum demonstrat; ast ejus spiritualitati contradicit, cum de humanae animae spiritualitate dubitare videatur; putavit enim Lockius, non posse sciri, utrum potuerit Deus materiae cogitationem tribuere. Nec recte sensit de humana libertate, quam accepit pro facultate agendi secundum volitionem, et nolitionem, sicque libertatem *a necessitate* sustulit, illam a *coactione* tantum probans; et de corporum existentia, cujus cognitionem *non carere omni dubio*, *omnique incertitudine* professus est (*l. 4. c. XI.*). Imo cum ipse asserat, *nos non habere neque habere posse ideam substantiae*, profecto de corporum, quae certe substantiarum aggregata sunt dicenda, existentia dubitasse videtur. Plurimum Lockio debent Logica, et Metaphysica, sed ipse plura menda commisit, vacua plura reliquit. Ejus *sensismi* philosophiam sectati sunt, eamque ad materialismum protraxerunt La Metrie, Cabanis, Helvetius, aliique.

51. Gotofredus Guillelmus Leibnitius Lipsiae ortus a. 1646 fuit summus mathematicus, summusque metaphysicus. Posuit duo principia: *eadem res non potest esse simul, et non esse*: *et nihil existit sine ratione sufficienti existentiae suae*. Juxta ipsum Deus ita praeordinavit status successivos corporis, et animae, ut semper correspondentes essent, quod est systema *harmoniae praestabilitae*. Ipse enim docet, Deum animas condidisse vi sibi efficiendi universi repraesentationes, quarum una in altera, haecque in altera, sicque deinceps, ra-

tionem habet, usque ad primam, supra quam anima agens absque externorum objectorum impressione evolvit vi sua omnia successiva phantasmata; atque creasse corpora, in quibus seriem motuum posuit, quorum unus in altero usque ad primum rationem habet, haecque corpora datis largitus est animabus. Quare juxta hoc systema in anima evolverentur illae repraesentationes, etiamsi mundus non extaret, quod est idealismum, et transcendentalismum Kantii, aliorumqueGermanorum profiteri. Rationales animas cunctas in mundi exordio procreatas, atque suis involutas corpusculis in protoparentum visceribus inclusis docuit, quod est systema *involutorum.* Corporum elementa statuit simplicia, et *monades*, *unitates*, *entelechias* vocavit. Tota de *monadibus* theoria Leibnitii haec est. Posuit 1.° existere corpora, ideoque entia simplicia, ex quibus illa constant; 2.° haec simplicia numerum efformare; ideoque ipsa esse unitates, seu monades, ac proinde corpus quodcumque constare monadibus; 3.° monades esse substantias, neque quidquam posse extrinsecus recipere; ac propterea animas humanas, quae et monades ipsae sunt, non ab externo, sed vi sua in se producere sensationes, quae sunt repraesentationes compositi in simplici; 4.° actuales repraesentationes in antecedentibus, et has in aliis, usque dum perveniatur ad statum primitivum, habere rationem sufficientem; 5.° ideoque statum primitivum supponere repraesentationem compositi in simplici, et vim repraesentativam in anima; 6.° sed statum hunc primitivum unius monadis esse diversum a statu alterius monadis primitivo, licet unaquaeque monas suum habeat; 7.° animam, et unamquamque monadem habere repraesentationes monadum corporis, et quas habet unaquaeque monas; ac propterea animam, et quamcumque aliam monadem habere virtutem repraesentandi sibi universum, cujus idea dicitur *schema*; 8.° animae perceptiones esse claras vel obscuras, prout earum est conscia, vel non, sed obscuras esse perceptiones monadum corporis; 9.° cognitiones necessarias, quae non a sensatione vel ab objecto, sed ab anima seu subjecto oriuntur, esse innatas. Notat tamen Galluppi (*Lett. Fil. lett. 4*), in Leibnitii systemate omnes cognitiones esse necessarias, omnesque proinde innatas, cum omnes a subjecto oriantur. Verum praeter monades finitas Leibnitius admisit *monadem monadum*, nempe Deum, cujus limitationes effusionis *effulgurationis* monades finitas dixit, in qua doctrina emanationes creatarum substantiarum videntur includi. Deinde suo systemati veluti contradicens, axiomatis loco

statuit, *nihil esse in intellectu, quod prius non fuerit in sensu, nisi ipsum intellectum*; Cartesii philosophiam dixit non meliorem, sed meliorem praeparationem ad philosophiam, non sanctuarium templi, sed celsissimum perystilium; mala distribuit in metaphysica, physica, et moralia, atque docuit, Deum fecisse optimum hunc mundum. Providentiam Dei, aliasque Religionis dogmata contra Baylium tuitus est in sua Theodicaea, eaque non contra, sed supra rationem ostendit. Linguam universalem inveniri, statuique posse putavit, quae in perquirenda veritate fungeretur officio, quo funguntur signa algebrica, et arithmetica. Leibnitii philosophiam, quae huc, illucque sparsim in suis operibus reperitur, in idealismum, imo et pantheismum ducere, aliqui putarunt. Vide Tennemann, sed praecipue Barchoux de Panhoen, qui Philosophiam Germanicam recentem docte describit. Leibnitii doctrinas acerrime sunt tuiti Wilfingerus, Tummistius, aliique, sed praecipue Wolfius natus a. 1679. Uratislaviae, qui eas collegit, in systema redegit, perpolivit, auxit, regnumque Philosophiae in Germania tenuit fere unius saeculi medietate, sed nequivit in Galliam ingredi ob Lockii empirismum; rejecit tamen Wolfius monadum systema.

52. P. Baylius natus an. 1647, cum Leibnitio acerrime disputavit (§. 51.). Ipse modo huic, modo illi systemati favet, nullumque constanter retinet; aliquando revelationem extollit, aliquando carpit; idea Dei utitur in excludenda corporum existentia, et humana libertate, et interim atheis patrocinatur; scepticismum summis extollit laudibus, licet saepe dogmatizet. Occasionem sui scepticismi a Malebranchiana doctrina de *causis occasionalibus* sumpsit Baylius. Ait enim in suo Dictionario (*art. Pyrrh. et Arcesil.*) edito a. 1697. 1.° qualitates corporum, quae sensus afficiunt, sive primarias, sive secundarias, esse apparentias, cum oppositum non repugnet; ideoque objecta externa non esse sensationum causas; 2.° scepticismum non posse sine petitione principii refutari, supponendo nempe aliquod verum; 3.° experientiae opponi axioma *ex nihilo nihil*, ac proinde nil certi sciri posse; 4.° tollere libertatem axioma illud, *conservationem esse continuatam creationem*. Vide Galluppi (*Lett. Fil. lett.* 10.). Usque adeo desipuit, ut manichaeorum principia defenderit. Dignus tamen Baylius, qui efferatur laudibus, ea tantum de causa, quia veterum placita cribravarit.

53. Non silendum hic est de Spinoza, qui philosophis accensetur. Natus Amstelodami a. 1632 ex Hebraeis parenti-

bus, et postea desertor factus Christianae Religionis, quam fuerat amplexatus, docuit unam esse in mundo substantiam, haucque esse Deum; spiritus vero, et corpora esse illius substantiae modificationes. Systema hoc pantheisticum, a Xenophane acceptum (§. 32.), atque geometrica methodo adornatum, Poiretus, Isaac Jaquelot, Wolfius, Gerdilius, multique alii refutarunt.

54. Floruit etiam saeculo XVII. Odoardus Herbet, qui natus a. 1581 innatas ideas destruxit, atque cognitionum humanarum originem in quodam rationis instinctu posuit. Hinc docuit, Religionem oriri a quodam lumine primitivo, et immediato, collatoque omnibus hominibus; atque animam esse veluti librum clausum, et a seipsa communes notiones, de quibus omnes conveniunt, educere. Floruit et Joannes Baptista Vicus, qui natus a. 1660. plura de Jure publico, de Logica, de Metaphysica meruit, licet a paucis intellectus. Quare non defuerunt, qui in ejus philosophia errores contineri dictitarunt (1). Ceterum ipse sensum communem pro criterio veritatis posuit. Ens verum, quod Deus est, esse infinitum posse, nosse, et velle; hominem vero finitum posse, nosse, et velle statuit; Deum ex sensu communi, et ex idea Dei alias res deduxit; pluraque docuit, ex quibus Montesquieu, Gravina, Giannone, Filangieri, Genovesi, Pagano, aliique, suas eruerunt theorias (2). Floruit et Hugo Grotius, qui natus

(1) Notat enim Buchet (*Introduction à la science de l' Histoire*), ideam progressus indefiniti ortum habuisse a Bacone, qui tres perfectibilitatis periodos statuit, nempe apud Graecos, Romanos, et nos, sed Jo. Baptistam Vico eam promovisse. Nam Vico(*Principii di una scienza nuova*) statuit tres aetates, deorum nempe, heroum, et hominum, in quarum prima homines instar belluarum viventes, caelo tonante, credebant esse Jovem, in secunda duces sibi elegerunt, atque aristocratias instituerunt; in tertia post civiles discordias in monarchias coaluere. Sed credidit, societatem dissoluturam iri, homines in silvas redituros, atque demum instar phaenicis ex cinere societatem surrecturam, sicque continuo circulo homines percursuros. Hinc concludit Buchet, ex hoc systemate Boulanger hausisse *ideam progressus indefiniti*, atque Hegel suam *philosophiam juris*.

(2) Nam in Logica docuit, in veritate inquirenda procedendum esse ratione, et historia, atque methodum adhibendam esse ex analysi, et synthesi mixtam; non omnes scientias tractari posse methodo mathematica; mithologiam esse veram historiam; animam, quam in corde posuit, pollere memoria, phantasia, et arbitrio; axioma Cartesii, *cogito, ergo sum*, esse enunciandum e converso, *sum, ergo cogito*, cum existentia praecedat cogitationem. In opere autem *Principii di una scienza nuova* docuit, in turri Babelica tantum filios Semi fuisse, cum filii Chami, et Iapheti essent instar ferarum elingues viventes huc, illucque dispersi; homines ad societatem natos a familiis incepisse, primamque regiminis formam aristocratiam

a. 1583, in suo *jure belli et pacis* multa praeclara statuit circa jus gentium, ac fundamenta jecit naturae juris (1). Floruit Theophilus Galeus, qui mortuus a. 1677 philosophiam in verbo Dei scripto traditam esse docuit. Floruit Rodulphus Cudworthus natus a. 1621, qui eamdem Galei sententiam tenuit, pluresque Platonis sententias propugnavit. Floruit Riccardus Cumberland natus a. 1632, qui, ad destruendum Hobbesianum systema, principium actuum humanorum benevolentiam statuit. Floruit Joannes Clericus natus a. 1657, qui Dei providentiam contra Baylium defendit, atque *naturas plasticas* Cudworthi tuitus est. Floruit Petrus Daniel Huetius natus a. 1630, qui demonstrationem evangelicam, censuram philosophiae cartesianae, quaestiones alnetanas edidit, summusque creditus est in qualibet scientiarum parte; ast auctoritatem extollens, humanamque rationem extenuans, scepticismum ad vitam revocavit (2). Floruit Samuel Puffendorfius natus a. 1632, qui jus naturae et gentium ex sociabilitate. uti Grotius etiam docuerat, deduxit, remota revelatione. Floruit Christianus Thomasius natus a. 1655, qui jus naturae ad praecepta negativa coercuit, atque ab amore officia deduxit, in quo eum sunt sequuti J. Gottl. Heinnecius, et Coccejus. Floruit Georgius Berkeley, qui natus a. 1684 idealismum instituit, corporumque existentiam dubiam reddidit (3);

elegisse; linguam esse ab homine inventam; tres linguas primitus fuisse tribus aetatibus respondentes, hieroglyphicam, symbolicam, vulgarem; Homerum non extitisse, sed opera illius fuisse aut aliquorum coecorum cantus, aut plurium Scriptorum etiam tempore dissitorum. Vide Martini (*Storia disc.* 13.)

(1) Ceterum Grotio alii docti praecesserunt, praecipue Italus Albertus Valentini natus a. 1551. et m. a. 1611 in operibus: *Libri tres De jure belli, et De injustitia bellica Romanorum actio*.

(2) Huetius in *Tractatu de imbecillitate mentis humanae* totus est in statuenda divina auctoritate, quae una nos certos reddit, nostram cognitionem reapse realitati rerum respondere. E contra Antonius Muratori a. 1745 edidit opus: *Trattato della forza dell'intendimento umano, ossia il Pirronismo confutato*, in quo notat (*Prefaz. n.* 9. 10. 11.), Huetium non esse illius Tractatus auctorem.

(3) Berkeley (*Dial. inter Ilam, et Phil.*) a. 1713. a Malebranchiana doctrina profectus docuit, 1. qualitates primarias, et secundarias corporum extra animam nostram non existere, neque nostrarum idearum archetypa nostris sensibus percipi; 2. invisibili visibile non posse esse simile, ideoque res externas nostris ideis haud respondere; 3. corpora non esse nostrarum idearum causas *instrumentales*, quibus Deus non indiget in agendo, neque *occasionales*, cum dedeceat Deum, ut a causis finitis, praesertim materialibus, ad agendum moveatur; 4. corpora non esse substantias, sed res chimaericas; atque in nobis rerum ideas produci a voluntate spiritus infiniti.

ast scientiae incrementis profuit per *theoriam de visione*, in qua Condillacho praelusit.

55. Sed varias in classes dividamus philosophos, qui saeculum XVIII. ex parte, et inceptum saeculum XIX. illustrarunt. Floruerunt in Anglia Samuel Reimarus, qui natus a. 1694. clare, et profunde de Logica, de Theologia, de belluarum instinctu disseruit; Goffredus Plowquet, qui natus a. 1716. Logicam ad simplicitatem reduxit, pluraque de metaphysicis ingeniose tractavit; Henricus Lambert, amicus Kantii, qui mortuus a. 1777. Logicam, et Metaphysicam mathematico rigore evolvit; David Harteley, qui natus a. 1704. Deum omnium naturae effectuum, et omnium humanarum actionum causam proclamavit, vimque intellectus ad nervorum vibrationem reduxit; David Humius, qui natus a. 1711. connexionem inter causam et effectum abstulit, licet libertatem hominis ea praecipue de causa negaverit, quia omnis animae determinatio a praecedentibus dependeat motivis: scientiam omnem ad quantitatum, et numerorum relationem, et ad factorum experientiam coarctavit: idealismum, cum Berkeley corporum existentiam negans, in vitam revocavit; asseruitque nullo solido probari argumento Deum, providentiam, miracula, animae immortalitatem (1); Thomas Reid, Jacobus

(1) David Humius m. a. 1776, ut scepticismum instauraret, statuit, 1. in duas classes dividi objecta nostrae inquisitionis, quarum prima *relationes idearum*, altera *res facti* comprehendit; 2. in prima classe esse omnes propositiones certas, aut quia *intuitivae* sunt, aut quia *demonstrativae*, uti propositiones Geometriae; in altera illas omnes, quae experientia nituntur, et quarum contradictoriae possunt esse aeque verae; 3. propositiones secundae classis niti principio causalitatis, *non datur effectus sine causa*, hocque principium nullo niti fundamento, cum *causa*, et *effectus* sint duo facta *conjuncta*, et non *connexa*, cumque idea unius ad alterius ideam, independenter ab experientia, nos minime ducat; 4. quare nos nescire *connexionem* nostrarum idearum cum objectis externis; neque nos habere ideam *potentiae*, et *virium*; neque noscere posse, futurum esse simile praeterito; ideoque neque posse scire, utrum e. g. panis, qui heri nos nutrivit, sit nutriturus hodie, et postea; 5. nos proinde quodam *sensu fidei*, seu *instinctu* ponere, *effectum esse a causa, futurum esse praeterito simile*, atque externorum objectorum realitatem, primarias corporum qualitates, sicque fidem exhibere sensibus; 6. hoc quoque *instinctu*, seu potius Dei revelatione, nos rerum existentiam probare, cum rationis ductu, utrum praeter Deum aliud ens potuerit mundum creare, vel utrum mundus existat, haud noscamus; 7. animam propterea definiri successionem impressionum, et idearum illis respondentium, quarum recordamur, et conscii sumus. Quapropter Humius vestigia pressit Malebranchii, quatenus et iste principium causalitatis negavit in natura creata (§. 47. not.), sed Malebranchium deseruit in consectariis; iste enim voluntatem Dei causam omnium effectuum dixit, Humius vero de hac etiam unica causa dubitavit, philosophiamque impossibilem aestimavit. Vide Galluppi (*Lett. Fil. Lett.* 9. *et* 10.).

Beattie, Jacobus Oswald, qui in Davidem Humium insurrexerunt; Riccardus Price, qui empirismum, et sensum moralem in metaphysica impugnavit; Henricus Home, et Adamus Ferguson, qui sensum communem propugnarunt; Adamus Smith, qui sympathiam morum scientiae principium constabilivit, quique natus a. 1723 et m. a. 1790. amicus Humii fuit, et cognitus praecipue est ob *Tractactum de divitiis Nationum.*

56. Ast de Thoma Reid aliquid diductius est dicendum. Natus ipse a. 1704 et mortuus a. 1796 Glascovii scholam erexit, Scoticaeque philosophiae nomen dedit, medium iter ingressus inter Gallum empirismum, et Germanum idealismum. Reid, ut Humii scepticismum (§. 55. nota) convelleret, docuit; 1.° reapse experientiam non exhibere nobis aliquam *connexionis* ideam; ideoque opus esse in anima supponere aliquas veritates fundamentales *instinctivas*, quae sunt principia *sensus communis*, huncque constituunt; 2.° haec principia esse sequentes propositiones: verum est, quod experitur conscientia; ad animam pertinent sensationes, et cogitationes; memoria parit certitudinem parem conscientiae objecti praesentis; *ego* numquam mutatur; res sensibiles perceptae sensibus reapse existunt; objecta externa non agunt super animam, neque haec super illa; 3.° quare ex facultate *inspirationis* nos probare objecta externa, qualitates primarias, ens in nobis cogitans, atque admittere, verum, falsumve esse, quod verum, falsumve percipimus; hominum testimonium esse veritatis criterium; causam supponere, quod est reale; futurum esse simile praeterito. Has veritates dixit Reid evidentes, et fundamentales, cum sint manifeste absurdae oppositae propositiones. Vide Galluppi (*Lett. XI.*), et Martini (*disc.* 15). Itaque juxta Reid objecta externa operantur super organa, sensatio dein animam afficit, demum anima percipit, quin tamen haec tria sint connexa ulla causalitate; ideoque Reid statuit possibilem perceptionem absque objecti impressione, et existentia. Et reapse ipse docuit, animam nostram ponere objectum externum, statim ac agit in nos, ex judicio *intuitivo*, *instinctivo*, *primario*. Hinc deduxit, ab experientia interna neque posse argui, animam esse substantiam, vel pollere libertate, sed has veritates, positis animae operationibus, ex judicio *instinctivo* dictari. Quare Reid totus in evolvendis animae facultatibus, de ejus natura non est sollicitus. Ipsum sunt sequuti Jacobus Beattie mortuus a. 1803, Dugaldus Stewart mortuus a. 1828, Jacobus Oswald, Thomas Brown, et

qui scoticam scholam jam collabentem aegre fulcire nititur non tam novorum argumentorum robore, quam diluendo adversa systemata, William-Hamilton. In Scotia floruerunt etiam Jeremias Bentham, qui utilitatem justi, injustique matrem dixit; Georgius Combe, qui Craniologiam Gall professus est; Thomas Morgan, qui ideas morales a viribus physicis deduxit, omnes empirici. Alii cum Stewart Mackenzie amplexi sunt eclecticismum; alii cum Flockart a Dei idea incipientes, atque ad S. Scripturam provocantes *supernaturalistae* sunt appellati. In Hibernia alii Scoticam scholam, alii empirismum sectantur.

57. In Gallia, relictis Cartesio, et Malebranchio (§. 45. 47.) Lockii empirismo (§. 50.) praecipue adhaeserunt Montesquieu, Maupertuisius, Voltaire, Carolus Batteux, La Mettrie, Helvetius (nomina moribus, Religionique infausta). Hoc empirismi systema amplexa est Gallia potissimum Helvetii, Condillachi, ac Bonneti opera. Helvetius enim natus a. 1715. impudenter impius docuit, animae facultates ad sensationem, et memoriam reduci, hancque esse debiliorem sensationem; animam ad corporis organizationem coarctans, ex varia corporis organizatione, et diversa educatione diversam acquirendi ideas capacitatem deduxit; omnem moralem scientiam ad utilitatem restrinxit, hancque ex voluptate physica more cyrenaico repetiit. Ipsum sequuti sunt auctor *systematis naturae*, Diderot, d'Alembert, Rousseau, Robinet, atque ceteri Galli Enciclopedistae; qui omnem philosophiam spreveruut, atque impudenter et temerarie de rebus ad mores, ad leges, ad Religionem spectantes egerunt (1).

58. Stephanus Abbas Condillachus natus a. 1715. omnes et ipse animae facultates ad sensationem, quae in illas transformatur, reduxit, statuam supponens, cui modo unus, modo alter sensus detur, quibus facultates mentis pedetentim evolverentur (2). Abstractorum systematum amorem, ac proinde

(1) Montesquien n. a. 1689; P. L. Moren de Maupertuis n. a. 1698; Maria Fr. Aroet de Voltaire n. a. 1694; Batteux n. a. 1713; Auetor *systematis naturae* est aut La Grange, aut Pautus Enrieus Diatrich Baro de Holbae m. a. 1789; Dionysius Diderot n. a. 1713; Joannes Le Rond d'Alembert n. a. 1717; J. B. Rousseau n. Ganevae a. 1712. Non abs re hie Poli (*nota apud Tennemann*) notat, Ronssean non esse cum atiis sensistis confundendum, quia 1. ipse probavit sensum moralem internum, et spirituatem; 2. diitinxit *sentire a judicare* (*Emil. t.* 3. *p.* 36. 46.); 3. admisit in anima activitatem, et secrevit sensibilitatem ab attentione, meditatione, reflexione; 4. materialismum vocavit contradietorium, atque verbum sine sensu.

(2) Docnit deinde Condillachus, statuam non posse sensibus visus, auditus, gustus, olfactus attingere ideam alicujus rei extra se existentis, sed dum-

usum axiomatum, et propositionum generalium, quae adhiberi possunt post cribratas ideas singulares, ex quibus illae enunciationes generales eruuntur, extirpare conatus est. Signorum necessitatem ex eo praecipue repetivit, quod ipsorum vi mentis facultates exerceamus, ac conficiamus ratiocinia. Vi sermonis omnes scientias evolvi, quae omnes mathematico more tractari possunt, statuit. Instinctum a belluis auferens, eruditas eas reddidit, quod postea placuit Darwin. Plura de corporum existentia, in tractatu de sensationibus contra Berkeley, docuit; ast rem non integre confecit. Materialismi aliqui eum incusarunt; sed ipsum purgarunt viri doctissimi, quos inter Cl. Laromiguiere.

59. Carolus Bonnet natus a. 1720. physicarum rerum studiosissimus, Condillachum sequens statuam cum ipso supposuit, eumque aliquo modo emendavit. Animae activitatem in attentione, in voluntate, aliisque facultatibus demonstravit; ast eas explicare conatus est cerebri fibrillis, corporisque actione; atque libertatem *spontaneitatis* adprobans, illam indifferentiae labefactavit. In sua *Palingenesia*, in qua mortuorum resurrectionem explanare philosophice aggressus est, plus aequo peccavit.

60. Inter sensistas ideologos Destutt Tracy, qui natus est a. 1754, adnumeratur. Totum systema suum in Ideologiam, Grammaticam, Logicam, et in Tractatum de voluntate est partitus. Ideologiam ad cogitationem, et hanc, et omnes animae facultates, quas sensibilitatem, memoriam, judicium, voluntatem dixit, ad sensationem reduxit. In Grammatica agit more Condillachiano de signis, quae sermonem componunt. In Logica, scholasticam vapulans, sensationem pro prima certitudine posuit, vimque *reflectendi* pro criterio veritatis sta-

taxat tactu, cui res externa resistit. Quare *soliditatem* statuit veluti pontem, quo anima extra se transit. Dixit etiam, animam sibi persuadere, extra se aliquid esse, cum *sentit*, ex principio causalitatis, quo posito, *judicamus*, extra nos esse res, quae *sensationes* in nobis gignunt. Quapropter Condillachus deduxit existentiam naturae sensibilis ex sensatione *resistentiae* et *judicio* suffulto principio causalitatis. Hinc patet, Condillachum 1. probasse tantum sensationem omnium nostrarum cognitionum fontem, cum Lockius etiam *reflexionem* admiserit (§. 50); 2. ideoque putasse, omnes nostras cognitiones esse sensationes; 3. nostrum *ego* esse collectionem modorum, quos experimur, vel memoria reproducit; 4. corpora externa esse aggregata sensationum, quas anima ob sensum *soliditatis*, et principium *causalitatis* extra se projicit, atque in collectiones copulat: 5. easdem esse qualitates primarias, et secundarias corporum, quas distinxit Lockius; 6. extensionem esse phaenomenon, neque posse sciri utrum reales, vel apparentes sint primariae corporum qualitates. Vide Galluppi (*Lett.* 3.)

tuit. In tractatu de voluntate pro norma boni, et mali sympathiam constabilivit, atque de œconomia publica egit, de qua elementares, et communissimas notiones evolvit. Prolixum dicendi modum secutus, spiritualitatem, et libertatem animae suo systemate inficiatus est.

61. Fere eodem tempore prodiit opus Petri Joannis Georgii Cabanis mortui a. 1808. super *relationem physici et moralis in homine*, qui Tracyana placita tenens, animae libertatem inficiatus est, quia omnes ideas, et morales inclinationes a constitutione physica, et a causis externis pendere ait; spiritualitatem vero, quia omnes animae actus ad sensationem, hancque ad sensibilitatem physicam reduci clamitavit. Hoc materiale physiologicum systema sunt amplexi Lamarck, Magendie, Alibert, Adelon, Broussais; impugnarunt vero Bartez, Berard, Virey (1), Dufour. Ast reviviscere coepit opera doctoris Gall mortui Parisiis a. 1828, qui in suo systemate craniologo omnes animae facultates, omnes affectus, omnesque virtutes et vitia a diversis cerebri organis pendere crocitavit. Sed Laurentius Martini nititur vindicare Gall (*discor.* 25. *t.* 2) a materialismi nota, cum numquam, ut ipse ait, Gall docuerit, organa mentis, et affectuum inducere necessitatem, aut istorum organorum actiones esse facultates morales. Neque hic est silendum de Volney, qui n. a. 1757. et m. a. 1820. sensisticam scholam, imo materialismum professus, docuit (*Cathechisme du citoyen, et La Loi naturelle*), 1.° principium moralitatis esse sui conservationem; 2.° servare seipsum autem esse idem ac laborare pro valetudine corporis, ad quod totus homo reducitur, 3.° bonum proinde esse, quod servat vel perficit *organizationem*, malum autem, quod eam destruere vel hebetare valet; 4.° vitam propterea esse unicum bonum, mortem unicum malum; 5.° virtutes esse habitus voluntarios pro corporis conservatione, vitia habitus malos ad corporis destructionem tendentes. Sic hujus materialistae absurda narrat Damiron (*Essai sur l'Histoire de la Phil. en France au dix-neuvième siècle*).

62. Degerandus et ipse inter empiricos recensitus; sed modestus, sobrius, accuratus; docuit, medium iter esse sumendum, atque ideo ab experientia tum interna, tum externa ad rerum cognitiones, et legitimas conclusiones esse transeundum. Ipsum sequuti sunt P. F. Lancelin, La Place,

(1) Sed ipse Berard materialismi accusatur, utpote qui dictitavit, *intelligentiam in cerebro cogitare;* imo et Virey, qui docuit, *potentiam vitalem esse essentialiter intelligentem,* hominemque vocavit *membrum universalis organismi.* Martini (*disc.* 25.)

aliique. Sed Lancelin plura absurda evomuit, cum animam sensationum aggregatum statuerit, hominemque docuerit productum a natura repetitis conatibus, eique relictam curam speciem perpetuandi. Neque ab errore longe fuit La Place, utpotequi docuit, psychologiam non esse a physiologia secernendam, atque intellectus theoriam non esse dividendam a rerum externarum theoria. Martini (*disc.* 25.)

63. In Gallia extitere etiam philosophi *supernaturalistae*, qui divina nituntur auctoritate. Hujusmodi inter ceteros fuere Bonaldus, et Rob. Franciscus Abbas De La Mennais, qui sensuum, rationisque testimonium extenuantes revelationis necessitatem plus aequo extulerunt. Juxta ipsos ab initio homini revelavit Deus, quae ille scire debebat; ast in plures errores postea prolapsi sunt homines. Ceterum, quoniam non omnino ab eorum animis excessit primaeva revelatio, ideo tenenda sunt, quae communi consensione credit humanum genus. Et ut suum constabiliret systema Bonaldus, demonstrare est nisus, inutiles fuisse speculationes, et continuas veterum, et recentium philosophorum contradictiones circa physicam, scientiam morum, religionem, metaphysicam. Hinc linguam a Deo datam propugnavit, qua et ideae ordinis, et justitiae hominibus traditae sunt. De La Mennais ulterius progressus omnia incerta dixit, gratuiteque asserta, neque ad certitudinem nos pervenire posse, ni auctoritate humani generis, sensuque communi nitamur. Pluribus adrisit hoc systema, quod ad scepticismum adducere alii clamitarunt. Ast sensismus ex parte hoc modo confractus est. Quoad De La Mennais est notandum quoque, ipsum in detestabiles prolapsum esse errores, atque eo devenisse dementiae abysso, ut humanitatis philosophus factus, Sansimonismum procaciter propugnans, humanitatem veluti suum idolum reddiderit (*V. Esquisse d'une philosophie*). Hunc suum errorem cum aliis plurimis in bonos mores, in regimen politicum, in Catholicam Religionem evomuit iste apostata ab a. 1830 in variis opellis-*L'Avvenire - Parole di un credente-Affari di Roma-Libro del Popolo - La schiavitù moderna-Il Governo, e 'l Paese-Un sistema filosofico-Evangeli Esposti*. Miser! non videt, quo vadit! Vide *La scienza e la Fede vol.* 2. *fasc.* 11. 1841-*Cenni su l'Ab. De La Mennais.*

64. Et ut omnia complectamur Gallorum philosophorum systemata, notamus, eclecticismum esse sequutos non paucos initio saec. decimi noni. Inter ipsos adnumeratur Laromiguiere, qui natus a. 1759. docuit contra Condillachum, sen-

sibilitatem haud esse facultatem, ideoque sensationem non posse transformari in judicium, in ratiocinium, in aliasque animae facultates. Sectati sunt eum Maine de Biran, qui mortuus a. 1824. activitatem, unitatem, causalitatem animae describens, a perceptione est exorditus (1); Royer Collard, qui m. a. 1845 in osculo pacis in anno 82. aetatis suae, quique a. 1811. lectiones philosophicas dictitans, Psychologiam a sensismo, et Ethicam ab utilitate removit; aliique plures. Inter recentiores vero Eclecticos praecipue recensetur Victorius Cousin, n. a. 1771, et auditor Royer-Collard, cui in tradenda Philosophia Parisiis successit. Inter diversa systemata ab ipso habita Kantii doctrinam secutus est, a qua etiam postea discessit. Sensismum praecipue aggressus est circa methodum, Psychelogiam, Ontologiam, atque Eclecticismum pantheisticum in Galliam invexit. Methodum aliorum secutus, docuit, aliquas scientias ad cognitionem *utilis*, vel *damnosi*, alias vero ad cognitionem *justi*, et *injusti* nos ducere; ad illas physicas, et mathematicas, ad istas philosophiam referri; in philosophia oportere initium sumere in factis conscientiae, ideoque exordiri a *Psychelogia*. Hinc statuit in primis, intelligentiam in homine primitus *sponte* se manifestare, nosque *spontanea*, atque *instinctiva* cogitatione primum nosmet, dein mundum, tandem Deum percipere. In *Psychelogia* egit de *libertate*, seu activitate, vel personalitate, quam in *me* reposuit, et a cujus existentia potestatem, jus, obligationem, leges, officiaque deduxit; de *ratione*, quam dixit universalem, necessariam, immutabilem, impersonalem, absolutam, revelationem necessariam, et universalem, *logos* Platonis et Pythagorae, hominem Deum, verbum carnem factum, Deum humani generis, essentiam veram, et absolutam, fragmentum essentiae supremae, non vero Deum absolutum, non ens entium; demum de *sensibilitate*, quam definivit facultatem cognoscendi id, quod de externo mundo sub sensibus cadit, ideoque cognoscendi mundi existentiam, ejusque vires. *Rationis* postea *leges*, et *auctoritatem* evolvit; leges vero

(1) M. Maine de Biran diversas, oppositasque sententias habuit, nam in opere, *L'influence de l'habitude*, docuit, cogitationem esse *organisationis* phaenomenon; in opere posteriori, *La decomposition de la faculté de penser*, aestimavit, in homine esse substantiam cogitantem distinctam a corpore; in tertio opere, *Examen des Leçon de M. Laromiguiere*, dixit animam causam, substantiam, vim, principium activum, liberum, movens; demum in articulo *Leibnitz* inserto in 23. vol. Biographiae universalis systema Leibnitii de monadibus tuitus est. Vide Damiron (*Essai sur l'Histoire de la Philos. en France au dix-neuvième siècle*).

contra Aristotelem (§. 26.), et Kantium (§. 77.) ad principia causalitatis, et substantiae, quae unum tamen sunt, atque coevae, restrinxit, sed ab iis deduxit ideas spatii, et temporis, possibilis, et realis, relationis, et modi, causae, et effectus, substantiae, et qualitatis, aliasque hujusmodi. *Auctoritatem* rationis autem neque in consensu hominum, neque in ratione practica; sed in quodam rationis *instinctu* posuit. Statuit quoque tria rationis elementa, *infinitum*, quod dicitur etiam unitas, substantia, causa prima, absolutum, aeternum, inconditionale; *finitum*, quod etiam vocatur multiplex, phaenomenon, causa secundaria, relativum, tempus, conditionale; atque inter utrumque *relationem*, qua *finitum* et *infinitum* ad se mutuo referuntur, illudque ab isto evolvitur. Hinc oriri ait tres epochas, nempe *inspirationis*, quae est epocha infiniti; *reflexionis*, quae est epocha finiti; *completae reflexionis*, quae est epocha relationum; quarum prima Religionem, duae postremae philosophiam complectuntur. Quapropter juxta Cousinum conscientia habet tria elementa, *sensibilitatem*, quae est conditio posita conscientiae externa; *voluntatem*, quae est conscientiae centrum; *rationem*, quae est lux; ideoque facta couscientiae sunt *sensibilia*, *rationalia*, et *voluntaria*, illa duo necessaria, haec libera. *Ontologiam* demum vocavit studium cognitionum objectivarum, quas ex natura sua transcendentales dixit. Deus juxta Cousinum est substantia, et causa, semper substantia, et semper causa, unicus, et multiplex, aeternitas, et tempus, spatium, et numerus, essentia, et vita, individualitas, et totalitas, principium finis et medium, infinitus, et finitus, simul Deus, natura, et humanitas. Ex quibus deducunt scholae sensistica, et theologica, Cousinum esse delapsum in scepticismum, idealismum, fatalismum, pantheismum, quem postremum in Spinoza dilaudat in *cursu historiae philosophiae*. quemque videtur in suis *fragmentis* statuisse doctrina *creationis necessariae*. Advertit Galluppi (*Lett. Filos. avvertim. relat. al Signor Cousin*), Cousinum in nova suorum *fragmentorum* editione retractasse, vel a se expulisse pantheismum, et fatalismum, monito de hac re adjecto. Bene, an male ab impacta macula se purgaverit Cousinus, aliis dijudicandum relinquimus. Vide Damiron (*Essai de la Philos. etc.*) Martinum (*discor.* 21. 22. 23.), Galluppi (*Lett.* 14.), Maret (*Teod. lez.* 20), Gioberti (*Il Panteismo del Signor Cousin esposto da lui stesso*).

65. Verum ad sensum intimum, et ad sensum communem Reid (§. 56.) denuo redierunt hisce transactis annis ex

Gallis philosophis Thurat, Jouffroy, Damiron, Cardaillac, Dux de Broglio, Rossi in jure poenali, expulsis sensismo, idealismo, eclecticismo. Ceterum sensismum propugnarunt Toussaints, Comte, Alix, Gruyer, Torompert, aliique, qui sedulam Psychologiae, aut Cosmologiae, aut Genealogiae operam navarunt. Ad principium vero humanae perfectibilitatis recurrunt philosophi historici Beniaminus Constant, et Guizot, qui humanas societates in infinitum dicunt esse progressuras in Religione, et in aliis ideis; quae omnia proinde veluti humana inventa in eorum systemate sunt censenda. Sed et philosophi *progressus* hisce fere temporibus in Gallia visi sunt. duce Claudio Enrico de Saint-Simon, qui est mort. a. 1825. Iste primum militarem vitam, dein commercialem, demum litterariam videtur secutus. Opere ejus discipulorum Augustini Thierry, et Augustini Compte systema confecit, in quo docuit, homines *sub regno imaginationis* transisse epocham Theologiae, et Poesis; dein *sub regno cogitationis* epocham philosophiae, seu purae abstractionis; demum *sub regno realitatis* epocham scientiae, seu rerum positivarum. Statutis deinde erroribus pluribus, quibus Deum unicam substantiam ponebat, noxam originis inficiabatur, abolebat proprietatem, futuras poenas destruebat, mulierem emancipabat, progressum continuum humanitatis profitebatur, asseruit, ideas religiosas veteribus temporibus salutares non posse *in actuali virili humanae rationis statu* influere, nisi modo retrogado. Imo *ex expositione doctrinae Sansimonianae* anno 1. et 2. colligitur, in ipsa probari, Deum esse omnia existentia; hominem esse Deum in ordine finito; Deum continuo progredi; hominem etiam semper evolvi, usque dum Deus et homo fiant unum totum. Post mortem Claudii Enrici de Saint-Simon in plures sectas divisis discipulis, aliqui Christianismo demortuo, uti ipsi jactitabant, novam suffecerunt religionem laudatis ex erroribus, atque ex doctrina Fichtei, et Reid mixtam, ducibus Bazard, et Enfantin. Sed haec secta, huc, illucque ejus membris dispersis, divisis, aut ad Religionem Catholicam reversis, circa a. 1835. evanuit. Vide *Enciclopedia dell' Ecclesiastico* (*Sansimonisti*). Ex hac secta tamen ortus est *Fourierismus*, duce Carlo Fourier, qui (*Théorie des quatre mouvements*) multis ambagibus mundi aeternitatem probavit, Deum cum natura confudit, atque Trinitatem efformavit ex Deo, ex natura, ex mathematicis, quae regunt motum Dei in creaturas. Ex ipsa quoque nata est secta *Humanitaria*, quam Petrus Leroux, et Reinaud constabilire

conati sunt, docentes, hominem, ceterasque creaturas habere Dei naturam; Deum non esse extra mundum, neque mundum extra Deum; caelum esse infinitum ens, quatenus est invisibile, finitum vero, quatenus est visibile, naturam esse aeternam, et infinitam; infinitum creatum esse manifestationem infiniti entis, atque omnia, praeter Deum, continere. Ex ipsa demum orta est secta *Lamennaistica*, duce La Mennais (§. 63.), quae tenet, unam esse substantiam, eamque modo indeterminato Deum, mundumque continere; illam substantiam fieri sua evolutione potentiam, intelligentiam, amorem infinitum, qui sunt tres personae; res omnes haud esse creatas, secus aucta foret Dei substantia; quaecumque in mundo existunt, esse Deum limitatum, nempe quamcumque potentiam limitatum Patrem, quamcumque intelligentiam limitatum filium, quemcumque amorem limitatam Dei vitam. Inter Philosophiam *absoluti*, de qua postea, et has sectas *socialistas* hoc discrimen videtur esse, quod istae personalem Deum, illa impersonalem ponat. De his vide Maret (*Teodic. lez.* 19. et *Panteismo cap.* 2.), et Martini (*Storia-Filosof. del Progresso.*) In hisce doctrinis includi videntur Materialismus, Deismus, Fatalismus, Pantheismus, Protestantismus, atque Anarchia, quae est regimiuis confusio. (V. Gioberti loc. cit. §. 45.)

66. Ad Germanos philosophos transeamus. Floruerunt decimo octavo saeculo in Germania G. Georgius Sulzer, qui natus a. 1720. labores suos super aesthetica adhibuit, et eclecticismum est professus; G. Ber. Basedow, qui principia veritatis statuit felicitatem, sensum intimum, analogiam; Hebraeus Moses Mendelssohn, qui plures inquisitiones aestheticas, et psychologicas fecit; G. August. Ebehard, qui Leibnitii ideas revocavit; Christophorus Mainers, qui cogitationis legem ex cerebri fibrillis, earumque motu frustra ostendit; Tetens, qui Davidem Humium impugnavit, atque Lockii doctrinas ampliavit, quin in materialismum incideret (1).

67. Sed Emmanuelis Kant Konisgsbergensis m. a. 1804. doctrinam evolvamus. Ipse edidit *Transcendentalem* Philosophiam, quam postea vocavit *Criticam rationis purae*, *rationis practicae*, *et judicii*. In harum prima docuit, omnes humanas cognitiones exoriri ab experientia, nullamque siue experientia surgere ideam in intellectu; sed experientiam

(1) Basedow n. a. 1723. m. 1790; Mendelssohn n. a. 1729. m. a. 1786; Ebehard n. a. 1739. m. a. 1809; Mainers n. a. 1747. m. a. 1810; Tetens n. a. 1739. m. a. 1805.

non causam dixit, sed occasionem, in qua anima suam exercet activitatem. Deinde in qualibet cognitione supposuit elementum necessarium, et universale, atque elementum contingens, et mutabile, hoc veluti *materiam*, illud veluti *formam* cognitionis. Porro a *priori*, et *subjectivum* arbitratus est, quod in nostris cognitionibus est necessarium, universale, et immutabile; *a posteriori*, *et objectivum*, quod est in ipsis contingens, accidentale, et mutabile. Quare putavit, animam a sensatione excitatam objecta percipere externa, quae ab animae virtute exhibentur; sensus enim suggerit elementum contingens, veluti *materiam*, spiritus vero elementum necessarium, veluti *formam*, qua statim applicata materiae, objecti peculiaris idea enascitur. Idea corporis e. g. supponit sensationem, quae est phaenomenon transitorium, mutabile, contingens, et *materia* ideae; atque *formas* quantitatis, qualitatis, relationis, modalitatis, quae sunt quid uecessarium, immutabile, et universale, et quibus intellectus sensationem vestit, ideamque corporis sibi efformat. Ob idearum multiplicitatem admisit Kantius formam multiplicem, statuitque alias pertinere ad *sensibilitatem*, alias ad *intellectum*, alias ad *rationem*. Formam *sensibilitatis spatium* constituit pro sensu externo, *tempus* pro sensu interno. *Intellectus* formas dixit *quantitatem*, *qualitatem*, *relationem*, *modalitatem*, quarum unicuique tres gradus tribuit; nam juxta ipsum *quantitas* complectitur *unitatem*, *pluralitatem*, *generalitatem*; *qualitas* includit *realitatem*, *negationem*, *limitationem*; *relatio* habet *substantiam*, *causalitatem*, *reciprocitatem*; *modalitas* demum continet *possibilitatem*, *existentiam*, *necessitatem*. Porro, doctore Kantio, tertius quique gradus in quavis ex his quatuor formis complectitur duorum priorum graduum synthesim, e. g. generalitas est synthesis uuitatis, et pluralitatis; limitatio est synthesis realitatis, et negationis, et sic de aliis formis. Formas *rationis* denique dixit *Ego*, *mundum*, *Deum*. Hinc patet discrimen inter ideas innatas Cartesii (§. 45.), et *categorias* philosophiae transcendentalis; illae enim nostris animabus ab auctore naturae dicuntur impressae, atque realibus respondentes objectis; istae autem sunt principia ordinis idealis, et elementa subjectiva nostrarum cognitionum, quae forent sine illis impossibiles, nullisque respondent objectis, uti notat Galluppi (*Lett.* 8.). Patet quoque, *rationem* juxta Kantium assurgere ad generales formas *Ego*, *mundi*, *Dei*, quae constituunt formam *absoluti*, et *Inconditionalis*, atque demum se attollere ad hoc unum

generalissimum, inconditionale, absolutum, sicque evectam se manifestare tribus modis, nempe quoad uuum phaenomenicum, quoad modificatiouem eutis sentientis, quoad supremam conditionem possibilitatis. In *Critica rationis practicae* Kantius posuit *rationem practicam*, seu conscientiam dictitantem duo principia, *fungitor officio tuo*, *esto felix*; statuitque voluntatem personalem, virtutem ad completam felicitatem medium, ideamque boni moralis subjectivam. In *Critica judicii* definivit judicium facultatem copulandi particulare cum generali, seu concipiendi in generali contentum particulare, divisitque judicium in analyticum, et syntheticum, probavitque etiam judicia synthetica a priori. Hanc philosophandi rationem continere egoismum, idealismum, scepticismum, pantheismum, plures osteuderunt Kantii adversarii. Neque immerito, saltem de scepticismo, haec dicta sunt. Kantius enim *ontologiam* vocavit scientiam objectorum, quae in se intelligi nequeunt; *Cosmologiam* scientiam universi subjectivam; *Psychelogiam* scientiam animae humanae subjective acceptam; *Theologiam* scientiam Dei, quatenus ab humana ratione Deus potest concipi. Deinde non est hic silendum, philosophiam *Transcendentalem* dici posse *Ideologiam*, utpotequae de nostrarum idearum origine agit. Verum in sensistica Ideologia omnes cognitiones a sensatione derivantur, in philosophia transcendentali *a priori* a subjecto repetitur datus ordo notionum, qui dicitur *transcendentalis.* In hac philosophia formae sensibilitatis sunt modi, in quibus sentimus; formae intellectus sunt modi, in quibus cogitamus. Quare Philosophia transcendentalis est illa, quae *formas*, seu modos nostrarum cogitationum, *a priori* determinat, et propterea dicitur etiam *formalis*, atque *critica*, utpotequae fundamenta, et qualitatem nostrarum cognitionum examinat, et statuit, uti ait Galluppi (*Lett.* 8.) Vide Barchoux de Panhoen.

68. Praecipue Kantium insectati sunt in Germania Moses Mendelssohn, Stamann, Iacobius, Eberhard, Feder, Platner, Meiners, Herder (1), multique alii. Verum ejus sectatores

(1) Docet Balthassar Poli (apud *Tennemann in nota*), J. Godefredum Herder, n. a. 1744. et m. a. 1803, inter alia opera edidisse unum, versum in gallicum idioma a E. Quinet (*Idèes sur la Philosophie de l'Histoire de l'Humanité*), in quo, velut alter Plato Germanus, perpensis omnibus humanitatis elementis quoad omnia loca, tempora, aliasque circumstantias, docuit, hominem a Deo, vel a revelatione recepisse primum instructionis gradum, cursum peragere traditione, et imitatione, atque in felicitate finem esse reperturum. Hinc concludit idem Poli, hunc auctorem post Vicum prae ceteris nobilius condidisse pro humanitatis progressu monumentum.

fuerunt acerrimi I. Schulz, Schmid, C. Leon Reinhold, Salomon Maimon, Ioannes Neeb, Iacobus Fries, aliique quamplurimi. Quod heic negari nequit, illud est, nempe kantianam philosophiam plures clarissimos viros ad eclecticam philosophandi rationem reduxisse, pluraque ingenia excitasse ad excolendam Logicam, Metaphysicam, Ethicam, Theologiam, Æstheticam, relicto empirismo. Kantii systema prae ceteris amplexus est I. Gottlieb Fichteus, mortuus Berlini a. 1814, qui tamen, novae philosophiae auctor deinde factus, docuit, humanam animam quadam activitate donari, ac sui ipsius existentiam ponere, statim ac eam cogitando intuetur. Sed anima nequit proprium *ego* noscere, neque statuere, quin simul percipiat, quod reperitur extra proprium *ego*, quodque est *non ego*. Hoc *non ego* spiritus hominis contuens, statim illud ponit sua ipsa activitate. Quare *ego* est absoluta *activitas*, productum ab *ego* est quidquid extra ipsum *ego* existit; uno verbo, *ego est subjectum. et objectum*, est ens absolutum et independens, est creator Dei, sui, et mundi (1). En ideali-

(1) Fichteus post Kantium examinare studet, utrum *ego a non ego*, an *non ego ab ego* procedat. Ponit proinde, philosophiam esse scientiam scientiae, atque propterea supponere principium certum, a nulla alia scientia deductum, a quo debet proficisci, et ad quod debet redire cognitio de homine. Primum principium ponit, *ego sum ego*. In hoc principio *ego* est subjectum, quod reflertit super se, sicque sua activitas reperit obstaculum in *ego*, quod est objectum; *ego* sistit uti subjectum, et producit *ego* objectum, quod subjecto opponitur, et resistit; quatenus producit *ego*, *ego* est subjectum; quatenus opponitur producenti, *ego* est objectum. Ipsum vero *ego* objectum in contactu cum *ego* subjecto, est *conscientia*. *Ego* proinde est *absolutum*, seu *unitas absoluta*. Secundum principium a primo quoad materiam determinatum, et in se absolutum, est: *ego non est non ego*. Tertium est: *ego opponit non ego ad ego*. Distinguit deinde Fichteus *ego divisibile ab ego indivisibili*, docetque, *ego* divisibile non destruere indivisibile, sed tantum coarctare. Ut proinde servetur conscientiae identitas, tertium principium sic enunciat: *ego absolutum opponit ego divisibile ad non ego divisibile*. Ex quo deducit, oppositionem *ego* ad *non ego* esse principium *relationis ad ego absolutum*, et *ego divisibile* distinctum ab *ego indivisibili* esse principium *distinctionis*. Ex *ego* duo producuntur: *ego* ponit se veluti a *non ego* determinatum, et *ego* se ponit veluti determinans *non ego*. Quoniam vero subjectum sine objecto, et hoc sine illo esse nequit; ideo *non ego* est objectum *non ego*; *non ego*, quod est nihil, dat realitatem *ego*, alias *non ego* nequiret esse objectum. Cum *ego* ponit se determinatum a *non ego*, passive se habet; sed cum determinat *non ego*, se active habet; sicque *actio*, et *passio* identificantur in *ego*. Ita quoque *non ego* productum ab *ego*, passive se habet; sed est activum, cum opponitur ad *ego*, sicque in *non ego* activitas est ipsa *passivitas*. Itaque *ego*, et *non ego* habent oppositas directiones, sicque *ego* est activum erga *non ego*, passivum, cum ei opponitur non *ego*; sicque *non ego* est activum, cum opponitur ad *ego*, passivum vero, cum est ab *ego*. Porro in

smum, et pantheismum! En mysterium, quo mysteria solvere conatus est Fichteus! Sequitur Fridericus Guillelmus Iosephus Schellingius natus a. 1775, qui Berlini professor a Fichteo aliquo pacto recessit. Docuit siquidem, ex *proprio ego* et *non ego* unum ens fieri, quod absolutum sit, et illimitatum, atque sic ex *objectivo* et *subjectivo*, ex *esse* et *noscere*, ex *ideali* et *reali* unum hoc absolutum efformans, systema confecit *identitatis absolutae*, quod idealismum, pantheismum, authotheismum complectitur (1).

hac opposita duplici directione *ego*, et *non ego* habetur *intuitio*, seu contemplatio, quae non est reflexio, sed operatio extra transiens, nempe productio. *Ego* videt, *non ego* videtur, sicque intellectus recipit materiam intuitionis, atque in *reale* convertit, quod erat *ideale*. *Ego* determinatum a *non ego* ad theoreticam partem; *ego* determinans *non ego* ad practicam pertinet; *ego theoreticum* est finitum, et dependens; *ego practicum* infinitum, et independens; *ego practicum* producit mundum, sicque *non ego* existit ab *ego*, in *ego*, et opera *ego*; imo *ego* producit ipsum *ego* sua activitate absoluta. Hinc *ego* est subjectum, objectum, identitas absoluta, absoluta realitas universalis, quae sub duplici forma *ego*, et *non ego*, hominis, et naturae manifestatur, est ipse Deus pantheistarum. Cum legimus Fichteum, atque cum ipso loquimur, anxii, oppressique videmur, uti si in loco essemus aere, et luce destituto, ait apposite Maret (*Teod. lez.* 17.). Vide Martini (disc. 16.), Tennemann, Barchoux de Panboen.

(1) En quomodo Barchoux de Panhoen Schellingii systema exponi. Juxta Schellingium, qui primum idealismum Fichtei suscepit incipiens ab *ego*, et postea ab *absoluto* initium sumpsit, *subjectum* ab *objecto*, hocque ab illo oriri nequit, ideoque dari debet *absolutum*, in quo identificantur subjectum, et objectum, nempe spiritus, et materia, et a quo evolvuntur. Porro, doctore Schellingio, *absolutum objectum* in tempore per *philosophiam naturae*, *absolutum subjectum* in tempore per *philosophiam intelligentiae* constituitur; sed supra has philosophias est alia nobilior, quae est *philosophia Identitatis absolutae*, seu philosophia *Identitatis subjectivi. et objectivi, idealis*, et *realis*, *cognitionis*, *et existentiae*. Quare *absolutum* est *Identitas* subjectivi, et objectivi, mei, et non mei, idealis, et realis, cognitionis, et existentiae, unitatis, et pluralitatis, formae, et materiae; atque semper *idem* remanet, licet has subeat formas, uti aliqua quantitas generalis, seu algebrica, elata ad superiores potentias, semper sibi identica est, licet formae differant. Verum, eodem semper permanente, *absolutum*, cum incipit evolvi, duas oppositas vias ingreditur, in quibus innumeras subit transformationes, quarum unaquaeque in una via cuique respondet in altera via. Hae viae sunt *ideale*, et *reale*, in quibus sunt *absoluti potentiae*, quae in *ideali* ad primum gradum evectae constituunt *virtutem*, et *scientiam*; ad secundum *bonitatem*, et *religionem*; ad tertium *pulchritudinem*, et *artem*; in *reali* vero ad primum gradum perductae constituunt *pondus*, *et materiam*; ad secundum *lucem*, *et motum*; ad tertium *vitam*, et *organizationem*. Ex quo deducit ipse, universum esse unionem, et connexionem *potentiarum realium absoluti*; Historiam vero esse unionem, et connexionem *potentiarum idealium absoluti*; *potentias reales* in fine suae evolutionis absumi in homine, ideoque humanitatem esse ultimum mundi complementum; *potentias* vero *ideales* in fine

69. Fridericus Henricus Jacobi, Fridericus Krappen, Cajetanus de Weiller, Jacobus Salet, spretis recensitis Kantii, Fichtei, Schellingii systematibus, docuerunt, Deum, providentiam, libertatem, immortalitatem, mortalitatem, omniaque, quae sunt supra sensus, ex sensu intimo revelari, qui nomen rationis recipit, philosophiam sensus interni, seu fidei efformantes. Imo Jacobi eo est progressus, ut diceret, *fidem instinctive rationalem*, seu sensum primum, et instinctivum internum nobis revelare mundum externum corporeum, atque mundum metaphysicum. Verum Gott. Henricus Schulze, quem in *conceptorum opere* est sequutus Joannes Fridericus Herbart, docuit, originem cognitionis humanae esse non posse nostrae cognitionis objectum, sufficiensque veritatis criterium inficiatus est, scepticismo novam viam aperiens. Demum Georgius Gulielmus Fridericus Hegel, conatus conciliare Fichteum, et Schellingium, magno verborum apparatu, et obscuritate, *idealismum absolutum* statuit in Logica, in Metaphysica, in Ethica (1). Sed haec de Germanicis sufficiunt, de quibus legendus est Tennemann in suo Manuali Historiae Philosophiae, et Barchou) de Paulioeu (*Histoire de la Philsophie Allemande*).

suae evolutionis absorberi in *statu*, seu *societate*; ideoque *hominem* ad *statum* se habere, uti *reale* ad *ideale*. Ut vero intelligentia finita valeat se attollere ad omnium rerum cognitionem, atque transgrediens series *Realis*, et *Idealis* possit *absolutae Identitatis* cognitionem pertingere, necessaria est *ratio*, qua una potest finita intelligentia habere *absolutae Identitatis* cognitionem, quae est philosophia, quae consistit in reditu *absoluti* supra seipsum. *Absolutum* in fine suae evolutionis *conatur* se capere, scire, comprehendere, uti est, *supremam Identitatem*; sui *conatus* conscientiam habet; tunc demum monstratur *philosophia*. Quapropter ad explicandam dualitatem phaenomenicam incepit Kantius *a me*, *et non me* (§. 67); Fichteus a solo *me* (nota ant.); Schellingius ab *absoluto*, sive Deo. Haec sunt tria *Prioristarum* systemata. In Schellingii doctrina philosophi cernunt fatalismum, idealismum, pantheismum, imo nihilismum. Vide etiam Tennemann (*Filos. dell' Identità* (Maret Teod. lez. 18.)

(1) Laudatus enim Hegel n. a. 1770. et m. a. 1831., qui in Germania successit Schellingio, divisit Philosophiam in *Logicam*, quae est Scientia *Ideae* in se, et per se; in *Philosophiam naturae*, quae est Scientia *Ideae* in suo esse ad extra; in *Philosophiam spiritus*, quae est Scientia *Ideae* a suo esse ad extra in seipsam redeuntis. Omnes alios obscuritate superans adeo aridam, duramque doctrinam statuit, ut, judice Tennemann, intelligentiam prorsus opprimat nostram. Dixit siquidem; 1. *Ideam* esse id, quod est, substantiamque viventem, quae motu progressivo numquam intercepto sub hac vel illa forma realis existentiae manifestatur; 2. *Ideam*, seu ens, vel realitatem esse proinde manifestationem *Ideae* secundum motum progressivum, qui motus *Ideae*, ejusque *identificatio* cum realitate praecipue apparet in

70. Ad Italiam nostram properemus necesse est, quae post Galilaeum (§. 43.) plurimos peperit philosophos, eosque praestantissimos. Recensentur inler empiricos temperatos Licetus Genuensis, qui Aristoteli adhaerens, in pluribus eum reliquit; Thomas Campanella (§. 42.), qui Aristotelis jugum excutiens, pleraque in metaphysicis excogitans, fuit causa inceptae instaurationis; Joannes Baptisla Poita, qui Lavater, et Gall praecessit in libro *de humana physiognomia*; Petrus Sarpi dictus F. Paulus, qui in *arte bene cogitandi* sensationem ab objeclo secernit, et sensus nullo in casu fallaces arbitratus est; Josephus Polizi Siculus Plaliensis, qui pluribus peripateticis opinionibus vitam restituit; Angelus Andrioli, qui empirismo rationalismum copulavit; Laurentius Magalotti, Guidus Grandi, P. Ceva, M. Aurelius Severino Calaber, Martenio, Nicolaus Spedalieri, Ansaldus Grimaldi, Longanus, Spagnius, Muratorius, Antonius Genuensis, Baldinottus, P. Soave, qui lockianas doctrinas commendarunt, illustrarunt, propagarunt. De Antonio Genuensi nato a. 1712. notamus inslauratorem philosophiae fuisse in Italia, summoque acumine de Logica, de Metaphysica, de Theologia, de Ethica, de Commercio scripsisse, optimeque meruisse. His accensendi sunt etiam Sarti, Tettonio, Pavesi, Josephus Capocasale, Briganti, qui omnes empirismum professi sunt, praecipue cum opera Candillachi, atque Destult Tracy ad Italo-

Spiritus humani evolutione philosophica; 3. ad quod intelligendum supponendum esse, destructas esse omnes entium realium proprietates, atque copulatas absque extensione in uno velut centro; destructas pariter omnes notionum proprietates, atque similiter conjunctas in uno centro; haec centra duo consideranda esse veluti duo germina realis, et idealis mundi, in quorum unoquoque omnia entia respectiva sunt unum ens factum, non quidem realiter existens, sed in *potentia* essendi; 4. illa duo centra, seu germina in ideas converti, quae non existunt, sed sunt in potentia essendi; 5. haec duo centra, haec germina, hasque ideas in potentia existentes confundi simul in alia sublimiori, et perfectiori unitate, quae est *Absolutum*, seu *Idea*, quae proinde est *notio pura*, et *ens purum*; *Idea* et *Ens*, *Ideale*, et *Reale*; 6. hinc *rationale esse*, *quidquid est reale*, *et reale esse*, *quidquid est rationale*; 7. hanc porro *Ideam*, seu hoc *Absolutum* manifestari in tribus Sphaeris, in *Logica* nempe, si consideretur in se, et per se; in *Philosophia naturae*, si accipiatur in suo esse ad extra; in *Philosophia Spiritus*, si intelligatur veluti rediens a suo esse ad extra ad seipsam. Hanc doctrinam quoque in scientia morali, et politica evolvit. Haec Hegeli philosophia tres fractiones passa est, dictas *dextram*, *centrum*, *et sinistram*, quarum duae primae aliquatenus Christianismum affectare, licet ore tenus, videntur; tertia in atheismum lapsa est, uti docet Maret (Teod. lez. 21.). Vide Galluppi (*Memoria*), et Barchoux de Panhoen.

rum manus pervenerint; praesertim vero cum Tracyana philosophia omnibus communis evaserit opera Equitis Compagnoni, qui eam in italicum idioma vertit (§. 58-60.)

71. Melchior Gioja Placentinus inter empiricos etiam recensetur. Ipse mortuus Mediolani a. 1829. ad facta continuo provocans ideologiam physicae, scientiam moralem voluptati aliquo pacto subjecit, impugnatus proinde ab Antonio Serbati Rosmini in opere, *Breve esposizione della Filosofia di Melchior Gioja.* Ceterum negandum non est, Melchiorem Giojà maxime meruisse de philosophia, quam communem, practicam, socialem, multisque suffultam eruditionibus fecit.

72. Joannes Dominicus Romagnosi mortuus Mediolani a. 1825. cum Gioja patriam, educationem, studium, systema, ingenii famam habuit communia. Nomine clarus ob *Genesim Iuris Pœnalis, et introductionem ad studium juris publici universalis*, plura edidit opera philosophica: in quibus docuit, ab experientia tum interna tum externa esse incipiendum; ideas a sensatione conjuncta cum oppositione *ego* ad objecta externa derivari; nullas dari proinde ideas innatas; proprio *ego* competere noscere, velle, exequi; criterium veritatis reponi in principio contradictionis; mentem humanam a mundo exteriori ad interiorem continuo procedere, ac in prima aetate ratiocinari phantasia, in secunda imitatione, in tertia comparatione, in quarta logica inductione; animae spiritualitatem a sentiendo *me*, uti unam, et individuam substantiam, corpora vero ex pluralitate substantiarum, atque ex oppositione phaenomenorum cum *me* intelligi; principium scientiae moralis constitui in ordine perfectionis, qui respicit proprium *commodum*, quod est centrum humanarum inclinationum, *utilitatem*, quae est finis scientiarum, et artium, *felicitatem*, quae est effectus relationum constituentium leges naturae.

73. Lallebasque, qui creditur Paschalis Eques Borelli, empirismum secutus, vitia systematum philosophicorum notans, philosophicorum vocabulorum analysim suscepit; cogitationis theoriam ad eccitabilitatem in genere, et in specie ad sensationem, judicium, voluntatem reduxit; ideam cum perfectione confudit, judicia varia deinde cribravit; raciocinii naturam evolvit; voluntatis actus ad praelationis judicium retulit; atque linguae praecipue italicae etymologias philosophice investigavit.

74. C. T. Mamianus della Rovere opinionum philosophicarum pugnam a methodi abusu derivat, criterii certitu-

dinem in intimo sensu, et sensu communi reposuit, ac in principio contradictionis; atque in hoc Reid, et Cousin discipulus videtur. Ab Antonio Serbati Rosminio in pluribus est vapulatus.

75. Neque hic tacendi sunt, qui empirismum in aliis scientiis professi sunt, uti Cicognara, Delfico, Pasquali, Venanzio, Visconti, aliique in Æsthetica; Ferrarese, de Pamphilis, Rossetti in arbore genealogico scientiarum; Pasetti, Tommaseo, Ascarotti, Moscatelli, Mercucci, aliique in Paedagogia.

76. Contra empiricum systema scripserunt Palmerius Siculus, qui Freretum refutavit, Carli, qui Rousseavium aggressus est, Gerdilius, Falletti, Draghetti, qui Lockium, et Condillachum impugnarunt, et, qui Cartesium sequuti sunt, Thomas Cornelius Cosentinus, Michael Angelus Fardella Drepanitanus, Alphonsus Borelli, Valentinus Alberti, Fortunatus a Brixia, Antonius de Martiis.

77. Rationalismum vero plures ex Italia philosophi sequuti sunt. Inter ipsos eminet Abbas Antonius Serbati-Rosmini, qui ideam *entis* innatam dixit, ratus, illam nullo medio acquiri posse, eamque donari immutabilitate, et aeternitate, quia hisce dotibus donatur metaphysica rerum essentia, atque interna possibilitas. Ex quo intulit, ideam *entis* esse primam veritatem, ultimam cognitionum rationem, formale certitudinis criterium; ad quam omnes veritates reducuntur. In qualibet cognitione porro duplex posuit elementum, alterum *formale*, sive entis ideam, alterum *materiale*, sive *sensum fundamentalem*. In anima tria posuit principia, *sensibilitatem*, *intelligentiam*, *voluntatem*, in quibus aliae concluduntur recensitae a philosophis facultates. *Sensibilitatem* aliam *spiritualem*, quae *intellectualis*, vel *moralis* est, aliam *physicam*, ad quam phantasia reducitur, dixit. In qualibet *sensatione* cognovit perceptionem *sensitivam*, vel *corpoream*, et *intellectualem*. quae rei cognitio est, quaeque est *interna*, et *externa*; in qua judicium *instinctivum*, vel *reflexum* esse potest. Judicium *instinctivum* ad intellectum, *reflexum* ad rationem pertinere ait. Ideam entis contemplatus est sub triplici respectu, ideali, reali, atque morali. Quae hucusque dicta sunt *ideale ens* respiciunt; *de reali entis forma* se dicturum spopondit in Ontologia, quae nondum lucem prospexit; *morale ens* demum primum morale principium dixit, sine cujus idea universali principia reliqua moralia, et conclusiones minime intelliguntur. Huic triplici entis ideae omnes cognitiones tribuit Rosmini, qui examine insti-

tuto, ex desiderio felicitatis perfectae Dei existentiam demonstrare credidit; atque educationem in assimilando hominis spiritu rerum ordini extra ipsum positarum, et non vice versa, constabilire est conatus. Insectati sunt Rosmini praesertim Comes Terentius Mamiani, et Vincentius Gioberti, qui illum incusarunt idealismi, nominalismi, scepticismi, pantheismi, rationalismi Theologici. Sed illum sunt sequuti Receveur, Joannes Maggi, Josephus Bianchetti, Cajetanus Lusverti, aliique, atque praecipue D. Ceresa, qui posuit cognitionis principium in *subjectivitate*, quae *objectivitatem elaborat*, et cujus gradus sunt voluntas, ideae, conscientia, judicia a priori, affectus.

78. Neque defuerunt, aut desunt, qui in Italia *supernaturalismum* amplexati sunt, quique, dejecta ratione, ad revelationem provocant, uti Vincentius Palmieri, Alexander Manzoni in sua *Morale Cattolica*, Marcus Mastrofini, Olivieri, Albertini, Caesar Cantù, Michael Parma, Antonius Ricardi, P. Joachim Ventura, qui ad sensum communem recurrens Theologiam cum Philosophia sociare molitus est, quique magno conamine ad sapientiae Christianae fontes revocare philosophiam laudabiliter est conatus (1). Ast hoc systema praecipue tuitus est Vincentius Gioberti, qui suam disceptationem philosophicam ab infinito Ente creatore exorditur, et ad creaturas descendit. Principium contradictionis, et rationis sufficientis, ex quibus secundaria principia dimanant, aperte profitetur. Utrumque in qualibet posuit notione, quia in qualibet idea, vel judicio, vel ratiocinio duplex subest elementum, nempe *necessarium*, quod ab ente exhibetur, et ad *principium contradictionis* reducitur, et *contingens*, quod a primo reflexionis actu explicatur, et ad *rationis sufficientis principium* refertur. Formulam statuere volens, in qua superstruatur totum humanum scibile, ponit, *Ideam*, nempe verum absolutum, et aeternum, quam dicit infinitam, et immensam, esse terminum *intuitus* mentis nostrae; ipsam fulgere evidentia non aliunde mendicata; atque a mente determinari, in verbo restringi, sicque intuitu secundario, et refle-

(1) Hic vir, nomen carum omnibus, qui philosophism a vera non secernunt Religione, docet, ratiocinium esse *inventivum*, vel *domonstrativum*, atque philosophiam *inquisitionis* esse *studium veritates omnes individualibus hominis facultatibus nullo Religioni respectu habito, reperiendi*; philosophiam vero *demonstrationis* esse *studium veritates omnes a Religione, vel Traditionibus haustas, magis, magisque internoscendi, illustrandi, roborandique, argumentis undequaque petitis*.

xivo vestiri forma sensibili. Haec *Idea* sic determinata est *Ens* quod ipsa mens copulat cum *existente* mediante ratiocinio. Hinc formulam deducit: *Ens creat existens*. Vide Alphonsum Testa (*Consideraz. sopra l'Introduz. allo studio della filos. per Vincenzo Gioberti.*); qui illam formulam refutat cribratis ipsius auctoris dictis hac super re. Statuit hic profundissimus auctor, tria in anima humana esse consideranda, *intelligibile*, quod respicit, quae *intellectu* capiuntur; *superintelligibile*, quod reponitur in iis, quae in rebus quibuscumque nequit *intellectus* attingere; *supernaturale*, quod refertur ad ea, quae in revelatis nostrum *intellectum* vincunt. In quovis objecto juxta hunc doctissimum virum est aliquid *intelligibile*, et aliquid *superintelligibile*; illud in objecto conspicitur, atque intelligitur, hoc non conspicitur, et supponitur; illud est objecti pars clara, hoc pars obscura; illud intellectum sua luce perlustrat, hoc intellectui subducitur; illud est lux, hoc tenebrae. Sine *intelligibili* cogitare non possemus, et sine superintelligibili noster intellectus foret perfectus, absolutus, ac divinum adaequaret intellectum (*Degli errori di Filosofia di Antonio Rosmini Lett.* 8. pag. 322. *Brusselles* 1841.). Quoniam porro nullum est objectum quod ingredi, pervadere, ac penetrare valeat humanus intellectus; ideo *superintelligibile* in quavis nostrae cognitionis parte diffunditur, ait ipse (*Introduz. allo stud. di filos. Brusselles* 1840. *tom.* 1. *pag.* 258.), tum quia idea etiam clara latus obscurum habet, tum quia quivis fulgentissimus intellectus densissimis tenebris comitatur (*ibid: nota* 19. *pag.* 457). Tota proinde *superintelligibilis* origo ex imperfectione, et limitatione subjecti cognoscentis oritur, ideoque est subjectiva. Tres in anima facultates posuit Gioberti *sensibilitatem internam, et externam*, cujus ope sensibile pertingit passiva abstractione, eique respondet *affectus*; *rationem*, quae activo intuitu *intelligibile* attingit, eique respondet *voluntas*; *superintelligentiam*, qua anima sibi persuadet, aliqua esse, ad quae nequit pervenire, eique respondet *desiderium beatitudinis*. Vide Martini (*disc. su Gioberti.*). Porro hisce facultatibus docet, omnes ideas a nobis haberi. Duplicem quoque distinguit *reflexionem*, nempe *ontologicam*, quae subjectum, et objectum contemplatur, et *psychologicam*, quae conscientiam complectitur. Sed dignus est Gioberti, ut attente a quovis italo legatur. Ipsum secutus est vir mihi et amicitia, et Ordine Religioso conjunctissimus, atque philosophiae excolendae addictissimus P. Antonius Maugeri a Catania Philosophiae

Professor in Catanensi Universitate in opere: *Genealogia della ragione filosofica.*

79. Ast Laurentius Martini in *Storia della Filosofia* Rosmini, Mamiani, Gioberti doctrinam censoriis virgulis signavit; atque plures ideas, pluresque tendentias ingenitas admittens, a vitae exordio nonnulla, nonsolum possibilia, sed et praesentia et determinata, animo praedicavit. Ex ingenitis vero ideis, quas sequuntur universales abstractione efformatae, sensum moralem, quo malum, et bonum respicitur, alterumque ab altero secernitur, et nexum intelligibilis cum sensibili, animam nostram eruere, dictitavit. Deinde statuit, ex tendentiis innatis surgere moralem instinctum, quo homo ad bonum inclinatur, uti movetur ad incognita objecta ab instinctu physico. Falsum proinde arbitratus est axioma, *nihil volitum, quin praecognitum*, cum homo ante rationis usum ad quaedam moralia opera determinetur. Ex quibus conclusit, legis aeternae argumenta esse illas tendentias cum ingenita legis idea connexas, divinamque esse conclamandam illam lucem, qua anima cujusque classis veritates intuetur. Hucusque Martini.

80. Ast Eclecticam philosophandi rationem multi hisce temporibus sunt amplexi, uti Corsini, Gorini, Scarella, Jannelli, et in legislatione forsan Filangieri et Paganus. Inter ipsos tamen hac aetate praestat Paschalis Galluppi, qui, pluribus editis philosophicis libris, in quibus rationalismus, scepticismus, empirismus, idealismus convelluntur, docuit, conscientiam, seu sensum intimum esse principium indemonstrabile, ex quo omnes oriuntur humanae cognitiones. Siquidem, ait ipse, quisque sentit proprium *ego*, ejusque modificationes ab alio diverso productas. Ex quo subjecti modificati, et modificantis ideae deducuntur. Subjectum modificatum, utpote quod percipit, judicat, ratiocinatur, metaphysice unum, simplex, et spirituale dicit; uti compositum objectum modificans, cujus impressiones subjectum sentit. Ex hoc principio et aliae eruuntur cognitiones. Ideas abstractas, et universales sua vi animam efficere; sensibilitatem internam, et externam esse; innatas ideas haud existere; rerum essentias esse impervias; rectam rationem esse principium moralis scientiae, demonstrat. Facultates elementares animae appellat conscientiam, sensibilitatem, imaginationem, analysim, synthesim, desiderium, voluntatem. Videantur ejus libri multa, et solida sapientia repleti, in quibus omnes fere nostri temporis errores philosophici examinantur, atque, instituta ana-

lysi, inpropatulo ponuntur, atque refutantur. Eum nuperrime secutus est Melillo in opere: *Nuovo corso di filosofia intellettuale*, et *Catechismo Psicologico*, in quibus pretiosae sunt gemmae tum doctrinae, tum linguae italicae.

81. Non est hic praetereundus Petrus Tamburini Brixiensis, qui Hobbesium, Condillachum, Kantium impugnavit, amorem proprium, utilitatem, voluptatem a rebus moralibus depulit; obligatiouem in perfectibilitate, qnae innititur natura humana, sensu communi, ordine, legibusque naturae, reposuit. Galluppi, et Tamburini doctrinas sectati sunt Tedeschi, Zantedeschi, Ricci, Rivato, Devincenzi, Riccobelli, Mancino, Balthassar Poli, aliique.

82. Consulto omisimus alias Europae gentes; nam in Hispania, et Lusitania adhuc excoluntur Lockius, et Condillachus; in Belgio, Svevia, Russia, Dania, Polonia Kantio, et Schellingio adhaerent. Ast hic praetereunda haud sunt nomina eorum, qui iu Europa ob praeclara inventa fama claruerunt. Aliquos laudavimus (§§. 41. 43. 44, 49.). Keplerus Teutonus vim centrifugam in corporibus per orbitam circumductis detexit; solem attractione donari, animadvertit; complura de genuinis causis motuum periodicorum orbium coelestium, ac de legibus, quas planetae sequuntur in excurrenda orbita sua, invenit; mundi harmoniam, cometas, doliorum, vinariorumque stereometriam disquisivit. Consuetudine conjunctissimus Keplero erat Tycho Brahé ex Dania, qui astronomiam novo ditavit systemate, quo statuit, in totius universi centro esse tellurem immotam, quam, ipso docente, primum lunae orbita, postmodum illa solis, tandem orbita fixarum circumambit. Credidit quoque Tycho Mercurium, et Venerem circa solem, sed ceteros planetas circa solem, et tellurem moveri. Hauxbèe, Grey, De-Fay, Nollet, Muschembroek, utentes machinis pneumatica, et electrica elaboratis ab Othone Guerrike, aca Roberto Boyle perfectis, aereometriam atque pyrotechniam illustrarunt. Aeris elaterii agnita causa, atque ad calculum deductis, quae ad ejus proprietates spectant, Hirnicius hygrometriam, Dubellius barometriam, Fahreuheit thermometriam ampliarunt, aut compleverunt. Franklin, et Beccaria, contuentes, electricum fluidum cum igne elementari pergrandem habere affinitatem, recte intulerunt, electricum non esse aerem, non aetherem, non subtilissimam Cartesii materiam, non Gassendi atomos, sed esse speciale fluidum per omuia ubique diffusum, ex quo electrica phaenomena explanare licet. Comperta sic electrici natura et virtute,

Franklin excogitavit *cervum volantem*, quo electricum atmosphaericum dignoscitur, atque inde inventum est *parafulmen*, quo fulmen a turribus, domibusque propulsatur, *quadratum magicum* substitutum *phyalae Leydensi*, *tabula fulminans* Beccariae, aliaque innumera. Galvani, et Volta magneticam virtutem in electrico fluido reperierunt; atque excogitaverunt *electrometrum*, *electrophorum*, *pilam*, *apparatus Galvanicos*, quibus aquae decompositio obtinetur, et electro - magnetismus evolvitur. Pryestley primus cognovit gas oxigenum; Scheele caloricum radians; Lavoisier combustionis theoriam. Cognita porro aquae genesi ex oxigeno, et hydrogeno, aeris vero ex gas multiplici, prodierunt *hygrometrum* Nolleti, *hydrometrum* Vilke, *electrometrum* ejusdem a Tiberio Cavallo perfectum, *calorimetrum* De La Place, *thermoscopium* Rumford, *aereometrum* Fahrenheit, *gravimetrum* Nikolson, *pilae siccae* Zamboni, quae scintillam unius pollicis, et succussionem causat, *electromotor* Patris Bessii, mirabilis *phyala Leydensis* Marianini, quae ex semetipsa onerâtur, *machina electrica* recens Menici, aliaque plurima.

83. Ex dictis in hac quarta epocha consequitur, philosophos, qui studio operam post instaurationem dederunt, fuisse 1. aut empiricos, qui nituntur experientia interna, et externa; 2. aut sensistas, qui ex una sensatione cognitiones deducunt; 3. aut materalistas, qui corporis organizatione suffulciuntur; 4. aut rationalistas, qui rationem humanam ad cognoscenda rerum principia, et essentias aptam supponunt (1); 5. aut spiritualistas, qui tum spiritus, tum materiae vires admittunt; 6. aut aprioristas, qui ingenitas ideas,

(1) *Rationalismus* triplici sensu accipi potest, nempe 1. pro systemate, quo ponitur, rationem dumtaxat naturalem esse cujusvis veritatis fontem, et judicem, negaturque quaevis veritas revelata, quae ipsius rationis captum superat; 2. pro systemate, quo, quin veritates revelatas neget, vel probet, statuitur, quaevis elementa humanae rationis ex humana oriri cogitatione, atque primitiva synthesi copulari, efformarique phaenomenica experientiae objecta; 3. pro systemate, quo unum commune principium statuitur, una omnium rerum substantialis realitas, quae revelatur uti ratio, et universus visibilis, quorum utrumque est exterior Dei revelatio. Primus vocari potest *negativus*, utpote qui omnia subvertit; secundus *naturalis*, utpote qui rationem non evehit ad Deum, neque cum eo illam confundit, neque omnia ab infinito absorbere facit; tertius *absolutista*, quia omnia ad ens absolutum reducit. Primum probavere praecipue Encíclopedistae elapsi saeculi; secundum Kantistae; tertium Fichteus, Schellingius, Hegel. Primum omnia mysteria inficiatur; secundus experientiae opponitur; tertius utrumque complectens in eo ab utroque discriminatur, quod ad unum absolutum principium recurrat. Sic de Rationalismo loquitur Melillo (*Nuovo corso etc. t.* 3.).

et judicia a priori profitentur: 7. aut idealistas, qui ideis dumtaxat nituntur subjecti, vel objecti, vel utriusque; 8. aut realistas, qui ex rebus existentibus sumunt initium; 9. aut supernaturalistas, qui ad principium divinum recurrunt; 10. aut mysticos, qui exordium ab incerta inspiratione sumunt; 11. aut eclecticos, qui colligunt, quae meliora in aliis videntur; 12. aut syncreticos, qui colligunt etiam, quae opposita sunt, unumque conficiunt systema; 13. aut dogmatistas, qui certam supponunt cognitionem philosophicam ratione, aut divina auctoritate suffultam; 14. aut scepticos, qui dubitant fere de omnibus; 15. aut nihilistas, qui impossibilem arbitrautur cognitionem philosophicam. Ceterum haec systemata brevius reduci possunt ad materialismum (1), idealismum (2), eclecticismum, supernaturalismum; et facili negotio duo ex ipsis in unum confluere possunt; quia ex. gr. empirismus, et rationalismus possunt inter se minime pugnare.

84. Illud quoque ex historia philosophorum italorum intelligitur, quod philosophia in Italia sit praecipue empirica rationalis, abhorrens simul ab idealismo, et sensismo; sit eclectica, quoniam non sectam caeco impetu sequitur, sed veritatem, ubicumque inveniat, recipit; sit dogmatica omnem aufugiens scepticismum; sit simul theoretica, et practica, quia intellectum colit, et mores componit. Speramus interim, labores italorum communi utilitati fructus uberiores progenituros esse, praesertim quia Germani, Angli, Galli modo huc, modo illuc se movent, palaestramque vacuam derelinquere videntur. Speramus, tandem perventuram ad ultimam instaurationem, atque unam efformaturam esse phi-

(1) Notamus hic, materialisticam philosophiam in physica terminare in atomum; in metaphysica in sensationem; in Morali in utilitatem; in politica in individualitatem; in sermonis analysi in interjectionem.

(2) De duobus oppositis systematibus est hic dicendi locus. *Idealismus* est systema, in quo praeter ideas nil aliud reale probatur, mundusque ipse tantum realitatis habere dicitur, quantum habent ideae, quas de ipso habemus Idealismus est *objectivus*, si docet, spiritum a nobis diversum, nempe Deum omnes in se amplecti rerum species, hasque pro lubito nobis manifestare; *subjectivus*, si tenet, animam humanam sibi veluti evolvere mundum, istiusque leges pedetentim procudere; *absolutus*, si credit, ideas tantum existere, et quidem sine subjecto, hasque constituere mundum. Oppositus Idealismo est *sensismus*, in quo omnes animae operationes ad sensationem reducuntur; *materialismus*, in quem ruit sensismus, quique docet, animam humanam esse organum corporeum, aut ipsam corporis organizationem; *physiologismus absolutus*, in quem materialismus cadit, quique explicare conatur intelligentiae phaenomena per cerebri *protuberantias, et conglobationes*. Vide Mellilo (*Cath. Psich. sez.* 2. *c.* 2. *a.* 6.).

losophiam, quae Europaea sit, quaeque cum Christi Religione amice conspiret. Ante Vincentium Gioberti, qui pro Italiae bono praecipue laborat, licet saepe ad incongrua divertat, de Genio Italico relate ad philosophiam jam scripserat dissertationem, postea a. 1845. cusam Romae sub auspiciis docti viri comitis Caroli Emmanuelis Muzzarelli meritissimi S. R. Rotae Vice-Decani, Cl. Aloysius Parchetti ex Cle. Reg. Som. qui animos Italicos, iu quibus sensismi, et transcendentalismi monstra numquam ingredi potuerunt, adhortatur, atque movet ad Rationalis Philosophiae studium, quod fundamentum statuit Ethicae, atque Religionis.

85. Qui plura cupit de veteris, recentisque philosophiae cultoribus, eorumque systematibus, adeat Plutarchum *De placitis philosophorum*, Diogenem Laertium *De vitis philosophorum*, Steucum *De perenni philosophia*, Des Landes *Histoire critique de la philosophie*, Gherardum Wossium *De philosophia, et philosophorum sectis*, Stanlejum in *Historia philosophica*, Brukerum in *Historia critica philosophica*, Appianum Buonafede in *Storia d'ogni filosofia*, et *Restaurazione d'ogni filosofia*, Aloysium Bonelli in *Disquisitione historica praecipuorum philosophiae systematum*, Gullielmum Tennemann in suo *Manuale della storia della Filosofia con note e supplementi dei prof. Giandomenico Romagnosi, e Baldassarre Poli*, S. Gotlieb Buhle in *Storia della ragion filosofica*, Degerandum in *Storia comparata dei sistemi della filosofia*, aliosque. Relictis iis, qui de historia speciali philosophiae penes varias nationes egerunt; circa Italicae philosophiae historiam legendi sunt Tiraboschi in *Storia della letteratura italiana*, quam Lombardi continuavit; Corniani *Sui secoli della letteratura Italiana*, quam auxerunt Ugoni, et Fichozzi; Ioannes M. Mazzucchelli, P. Andres, Ginguené *Sull'origine e sul progresso dell'Italiana letteratura*, Abbas Bettinelli in *Risorgimento d'Italia*, Paschalis Galluppi in *Saggio filosofico*, e *Lettere filosofiche*, ceterique italici scriptores, qui passim, vel diffuse, praesertim a Dante Aligherio, de scientiis, et artibus italice egerunt.

DE PHILOSOPHIA RATIONALI

ANTELOQUIUM

86. Jam vidimus (§. 1.), philosophiam definiri a Tullio *scientiam rerum divinarum, humanarumque, et causarum, quibus hae res continentur. Scientia* enim est philosophia, non quasi nempe illa vox unum, nudumque veritatum complexum exprimat, sed quatenus indicat cognitionem objectorum, quae intellectus hominis clare, evidenterque conspicit (1). *Scientiam* proinde *veritatis*, *cognitionem veri, et boni*, *scientiam rerum omnium* persaepe veteres quamplures philosophiam vocarunt (2). Scientiam vero humana ratio consequitur aut extemplo conspiciens idearum convenientiam, vel ipsarum pugnam, vix habita earum collatione; aut illam

(1) Cognitio alicujus rei potest esse *historica*, et *scientifica*; *historica* est cognitio rerum, factorumve, quae hominem quotidie circumstant; *scientifica* est series processuum mentis, quibus aliqua facta modo aptiori disponuntur, et alia eruuntur, quorum ope alicujus objecti cognitio completur. Illa est veluti cognitionis initium, haec completa cognitio; illa sine ista est sterilis, haec sine illa, est vana. Utraque est Philosophia.

(2) Alii alio modo philosophiam definierunt. Ex Aristotele est *cognitio rerum, uti sunt;* ex Wolfio est *scientia possibilium, quatenus esse possunt;* ex Genuensi *est scientia rerum aeternarum, factarum, et possibilium, earumque causarum, finium, relationum, usuum;* ex Galluppio est *scientia cogitationis humanae;* ex Romagnosi est *scientia realitatis, et actionum rerum habita per causas, quae adsignari possunt;* ex Matthaeo Liberatore *est scientia realitatis, legum, principiorum, unde constat mundus corporeus, et rationalis;* ex Laurentio Martini *est scientia, quae perficit hominem moralem, hoc est intellectum, et voluntatem;* ex Gioberti (*Introd. allo studio della filos. Proemio p. 7. et 69.*) est *elaboratio principiorum rationalium facta adjutorio reflexionis, et sermonis, vel instauratio Ideae divinae in scientia.* Hujusmodi definitiones sunt nimis aretae, aut obscurae, atque explicatione indigent multa, ut plene intelligantur. Proprior videtur definitio Tullii (*de off. l. 2. c. 2.*) relata. Siquidem objecta philosophiae sunt *homo, mundus, Deus;* sed *scientia rerum divinarum, et humanarum, causarumque, quibus hae res continentur,* haec tria, uti examinanti patet, complectitur. Vide Matthaeum Liberatore (*Log. Introd. art. 1. § 1. nota*), qui hanc nostram definitionem vindicat.

idearum convenientiam, vel pugnam subsidio tertiae cujusdam ideae, veluti quodam lumine, respiciens. Prima scientia *intuitiva*, altera *discursiva* dicitur, illa respicit judicia, quae donantur immediata evidentia, haec vero complectitur judicia, quorum idearum relatio non illico, vel obscure videtur, et *demonstrativa* quoque vocatur. Vide Storchenau (Log. part. 3. cap. 1.).

87. Verba quae in definitione sequuntur, respiciunt objecta, circa quae versatur philosophia, quaeque tantum naturalis rationis ductu cognosci possunt (1). Verum horum objectorum quaedam naturali animae virtuti, quaedam vero sensuum ministerio subjiciuntur. Illa *rationalem* philosophiam; haec vero *empiricam* constituunt. Philosophia *rationalis* complectitur Logicam, Metaphysicam, Ideologiam, quae modo usitato in scholis vocabulo *philosophia* tantum dicuntur; Philosophia *empirica* continet Physicam, Chemiam, Historiam Naturalem, Medicinam, et alia. De illa est hic dicendi locus.

PARS PRIMA

SEU

DE LOGICA

88. Logica, quae a graeca voce oritur, *rationem, aut sermonem* exprimente, *ratiocinatrix*, et *sermocinatrix* est. Illa mentis operationes in veritatis inquisitione moderatur, haec vero tradit media, quibus veritas detecta aliis monstratur. Quare Logica recte definitur *scientia, quae dirigit mentem nostram in perquirenda veritate, atque in ea jam cognita aliis manifestanda.*

(1) Cave igitur credas, philosophiam agere de iis, quae Theologiam revelatam respiciunt; illa enim versatur circa ea, quae rationis limites non superant, quaeque ex intimis principiis ex recto ipsius rationis usu cognosci possunt; haec vero circa ea, quae patent ex Dei revelantis auctoritate. Sed simul cave ab iis, qui a divina revelatione praescindunt, vel eam negant; qui enim praescindunt, indignam homini rationali, praesertim Christiano, philosophiam docent, atque relinquentes revelationem, quae est rationis fulcrum, errandi, vel saltem dubitandi periculis se objiciunt; qui vero excludunt, in impietatem vel lapsi sunt, vel labentur, quod et ex eo maxime patet, quod veritates ra-

89. Hominem ad verum perspiciendum, ipsa natura impellente, duci, intimus testatur sensus. Et reapse aliqui sunt, qui sibi relicti, nulloque edocti praeceptore judicia, et ratiocinia adeo recte conficiunt, ut veritatem quaesitam saepe assequantur. Haec vis, aut dispositio mentis humanae, quae major, minorve est, pro intellectus cujusque acumine, *logica naturalis* dici potest, quae in *recto sensu*, seu in quadam mentis sagacitate naturali reponi potest. Ast saepe homines lumine naturae tantum ducti, nulloque suffulti duce verum pro falso amplectuntur, uti Ixion nubem pro Iunone. Hinc necessitas orta est *Logicae Artificialis*, a nobis definitae (§. 88.), quae praeceptis suis suppleret rationis, seu Logicae naturalis insufficientiae (1). *Artificialis* proinde Logica congruis, electisque institutis mentem dirigit; *Naturalis* autem una nititur rationis virtute. *Naturalis* Logica *artificiali* est difficilior, quia illam propria experientia quisque comparat; est angustior, quia nemo omnia praecepta hucusque detecta sibi relictus invenire potest; est fallacior, quia sine duce facilis est in errorem casus (2). Ex quibus intelligitur, Logicae objectum esse omnes actiones, quibus humana mens veritatem attingere enititur. Igitur Logica haud complectitur illas rationis actiones, quas moderandi Ethicae officium est. Ceterum *Logica* est ars praemittenda cuique scientiae addiscendae, cum ejus adjutorio facilius, brevius, ordinatius discere, et tradere scientias possimus.

90. Logicam hanc in tres partimur sectiones, quarum prima de animae multiplici actione, secunda de methodo, tertia de veritate agit. Illud heic monemus, nempe nos promiscue accepturos vocabula *rationis*, *mentis*, *intellectus*, *animi*, *animae*, quae in Ideologia speculativa enucleabuntur.

tionalem vitam respicientes *per rationem investigatae paucis, et post longum tempus, et cum admixtione multorum errorum perveniant*, uti loquitur S. Thomas (1. *p. q.* 1. *a.* 1.).

(1) Quae Logica *artificialis* confecta est 1. ab ipso naturae lumine, quo reguntur homines; 2. ex sedulo studio, experimentis, et exercitio, quae capacitatem auxerunt, errores, errorumque causas detexerunt; 3. ex nostris, et alienis erroribus.

(2) Logica *artificialis* proinde dici potest *sensus communis* ad regulas quasdam redactus, uti eam pulchre vocat Testa.

SECTIO I.

DE ANIMAE HUMANAE ACTIONIBUS

91. De animae humanae actionibus in primis agemus, ut postea ex his ad ejus facultates, et a facultatibus ad ejus naturam ascendamus, et sic a cognitis ad ignota procedamus. Iam vero mens humana vel rem sine affirmatione, aut negatione intuetur, et *percipere* dicitur, vel de eodem objecto aliquod affirmat, negatve attributum, et dicitur *judicare*; vel relationem subjecti cum attributo subsidio tertiae ideae dignoscit, et *ratiocinari* dicitur. *Percipit*, qui in rosa *odorem* attingit: *judicat*, qui affirmat, negatve odorem hunc esse rosae; *ratiocinatur*, qui alterius floris odore utitur, ut hujus rosae odorem inferat. Primus mentis actus *simplex perceptio*, alter *judicium*, tertius *ratiocinium* nuncupatur. In hac itaque sectione agemus de *simplici perceptione*, *de judicio*, *de ratiocinio* (1). Et quoniam sermocinatrix Logica cum ratiocinatrice copulatur (§. 88.); ideo de illa quoque disserentes, de terminis, de propositionibus, de argumentatione totidem adnexis capitibus loquemur.

CAPUT PRIMUM

DE SIMPLICI PERCEPTIONE

92. *Perceptio* est simplex mentis intuitus absque affirmatione, vel negatione (§. 91.). *Idea* vero, quae ex graeca voce, quae *speciem* significat, emanat, est quidquid in mente versatur immediate post rem perceptam. Quare *perceptio* est mentis actio, *idea* vero ejusdem actionis terminus, licet

(1) Haec partitio oritur ex ipsa natura ratiocinii. Nam *ratiocinari* dicimus, cum aliquid ob aliquam asserimus rationem, utisi dicerem; *mundus est creatus, quia est contingens*. In ratiocinio proinde veritatem ignotam a nota deducimus. Veritas autem nota complectitur aliquid, quod est, vel non est hoc aut illo modo. Sed quoniam mens nostra *judicat*, quum asserit, aliquid esse, vel non esse illo modo, patet ratiocinium *judiciis* constare. Verum ut mens nostra judicet, aliquid esse, vel non esse illo modo, debet cognoscere illud aliquid, ejusque modos. Cum porro cognitio, vel notio rei alicujus sit idea; ideo judicia ex ideis efformantur. Quapropter tres sunt praecipuae mentis operationes.

una sine altera esse nequeat. Non desunt philosophi, qui putant, *ideam* includere judicium; quia idea rem existentem supponit, res vero existens ideam *entis*, idea *entis* autem complectitur rem, et possibilitatem. Imo docet Melillo (*Nuovo corso etc. Logica Empirica c.* 2. *a.* 1. *et c.* 3. *a.* 1.), Platonem, S. Thomam, Bossuetum, Reid, Cousinum, Rosminium, aliosque RationalistasCatholicos hanc doctrinam habuisse, quam ipse tuetur, de judicii necessitate ad habendam *ideam*. Hinc notat, ad *sentiendum* sufficere, ut objectum minori, majorique energia sensibus objiciatur; sed ad habendam *ideam objecti* requiri, ut *cognoscamus*, seu concipiamus mente id, quod in objecto sensationis reperitur, alias anima nostra *sentiret*, sed non haberet ideam. Concipere vero in objecto aliquid ipsi inhaerens, seu videre alicui objecto aliquas inhaerere qualitates, est *judicare*. Ergo ad ideam objecti habendam requiritur judicium, quod *instinctivum* vocat Reid (§. 56.), Cousinus *spontaneum* (§. 64.), Rosminius *deductum* (§. 77.), Melillo *intuitivum*, vel *constitutivum*. Sed hic notamus quoque, inter *ideam*, et *notionem* aliquos distinguere, dicentes, ideam referri ad objectum concretum, notionem vero ad objectum abstractum; e. g. *idea* Petri, *notio* justitiae.

93. In qualibet idea sunt consideranda 1. subjectum, sive principium, a quo illa cuditur; 2. objectum, quod illa exhibet; 3. modus, quo illa objectum repraesentat; 4. medium, quo subjectum conspicit objectum a se distinctum. Quare de ideis hic agendum est, prout hisce sub respectibus accipiuntur.

ARTICULUS PRIMUS

DE IDEIS QUOAD SUBJECTUM INSPECTIS

94. Ideas omnes in primis vel virtute sibi ignota mens humana conficit, et *acquisitae* dicuntur, vel homo ab suae existentiae initio menti suae infusas ab auctore naturae recepit, et *innatae* appellantur. Utrum ideae existant innatae, in Ideologia speculativa disputabitur. *Acquisitae* ideae *adventitiae* dicuntur, si eas mens nostra, velut causa efficiens, sensuum ministerio sibi comparet; *factitiae* vero, si absque sensuum ministerio, tamen adventitiarum adjutorio eas cudat. Idea montis *adventitia*, idea centauri *factitia* est. Istae ideae factitiae ab anima cuduntur vel *similitudine*, uti si ex acqui-

sita idea turris alias imaginetur turres; vel *associatione*, si nempe ex pluribus ideis sibi acquisitis unius compositi ideam sibi effingat, uti idea monstri horatiani initio artis Poeticae descripti; vel *ratiocinio*, si ab notis ad ignota progrediatur, uti si ab ideis operationum mentis mens ipsa ad sui ascendat naturam; vel demum *ampliatione*, aut *diminutione*, cum ideas acquisitas vel augeat, vel minuat, uti est idea gigantis, vel pigmaei, quam addendo, vel minuendo ideam, quam habet, hominis, sibi efformat. Ideae *factitiae* aliae dicuntur *fictitiae*, quarum objecta possunt existere; aliae *chimaericae*, quarum objecta existere repugnant. *Mons aureus* est idea fictitia, *circulus quadratus* chimaerica. Cetera in Ideologia discutientur.

ARTICULUS SECUNDUS

DE IDEIS QUOAD OBJECTUM INSPECTIS

95. Ideae *objectum* est id, quod idea repraesentat. Hujusmodi objectum aut est, aut esse potest. Quare *nihili* absoluti nulla idea dari potest, licet istud *negative* cogitare mens queat, intuens nempe possibile sua viduatum possibilitate, aut potius in terminis, qui simul stare nequeunt, se figens. Deinde ideae objectum vel est undique determinatum, et a ceteris distinctum, uti *Petrus*, vel est saltem ex parte indeterminatum, uti *aliquis*; vel tandem est penitus indeterminatum, uti *omnis*. Primo casu *singulare*, secundo *particulare*, tertio *universale* objectum dicitur. Ens itaque constituitur objectum *singulare*, sive *individuum* per quarumdam proprietatum collectionem, quae pluribus sunt communes, et per collectionem proprietatum, quae undique illud determinant, aliisque sub omni respectu haud congruunt, hoc versiculo inclusae: *forma*, *figura*, *locus*, *tempus*, *stirps*, *patria*, *nomen*. Hoc ex exemplo patet Caci descripti ab Ovidio (l. 1. Fast.). Coustituitur vero *objectum particulare*, cum ipsi nonnullas aliis communes notas tribuamus, uti si dicamus, *aliquos homines esse doctos*. Demum objectum dicitur *universale*, si habeat cum ceteris notas communes, uti *animal*, hominibus ac belluis commune (1).

(1) Nam entia omnia possunt concipi aut veluti substantiae diversimode modificatae; aut veluti modi substantiae inhaerentes, aut veluti subjecta individua individuis modis ornata. Accepta duobus prioribus modis sunt mentis no-

96. Qualitates illae, quae ens individuum reddunt, dicuntur *notae*, quibus una ab altera re discriminatur. Istae notae aut sunt ejusmodi, ut ab ente nequeant abesse, quin ejusdem essentia mutetur, et *essentiales*, uti *ratio* in homine, dicuntur; aut tales, ut abesse queant, non mutata entis essentia, et *accidentales* appellantur, uti *doctrina* in homine.

97. Ex his facili negotio intelligitur, ideam ratione objecti repraesentati esse aut *singularem*, quae individuum; aut *particularem*, quae aliqua individua, vel aliquod individuum indeterminatum; aut *universalem*, quae qualitatem totius classis, sive qualitatem communem individuis speciei unius omnibus, vel omnibus unius generis speciebus, includit, vel exprimit. Idea Petri est *singularis*; idea alicujus hominis indeterminate accepti est *particularis*; idea hominis in genere, est *universalis*. Quare idea universalis non est idea unius classis, vel collectionis, ut vult Smith (*dissert. sull'orig. delle lingue*), neque idea archetypa, et veluti typus, et exemplar aliarum, uti adrisit Condillacho (*Traité des sens. p. 4. ch.* 6.), sed idea qualitatis communis *totius*, non *unius* classis. Et hic. notamus, ideam *singularem*, atque *particularem* mutari, mutatis individuis, quae exprimuntur illis ideis; non ideam *universalem*, quae immutabilis permanet, mutatis quocumque modo individuis, quia exprimit non individua, sed communem qualitatem.

98. Sed universalis idea triplex esse potest, nempe *speciei*, *generis*, *differentiae*. *Species* est notio universalis exprimens qualitatem, sive notam, quae convenit pluribus individuis, uti *homo*, quae vox omnes homines singulatim acceptos exprimit. Quare non immerito *species* dicitur *individuorum similitudo*. *Genus* est notio universalis exprimens qualitatem, sive notam, quae convenit pluribus speciebus, uti est *animalitas*, quae notam designat homini, brutisque communem. Recte proinde dicitur *genus similitudo specierum*. Ceterum tum *species*, tum *genus* plures notas exprimere possunt; sed tunc illae notae considerantur per modum unius. Sic e. g. vita, sensus, ratio considerantur in uno *homine*, quae vox speciem exprimit; sic vita, et sensus in uno *anima-*

strae conceptus, tertio modo considerata sunt entia reapse existentia, atque complectuntur substantiam, et modos, quibus substantia existit, alias modi exsisterent sine substantia, sive sine existentia. Hoc itaque tertio modo considerata, sunt entia *singularia*, sive *individua*; duobus primis modis sunt generalia, vel particularia.

li, quod *genus* indicat, accipiuntur. Unum ens ab alio, sicut una species ab alia, et unum ab alio genere nota aliqua, vel notis aliquibus secernitur. Illa nota, vel notarum complexus *differentia* vocitatur, quae proinde *individualis*, vel *numerica*, *specifica*, et *generica* esse potest, prout hujusmodi nota, vel notis individuum ab individuo, species a specie, genus a genere distinguitur. Quare *differentia* numerica inter ea, intercedit, quae sunt ejusdem speciei; *specifica* vero inter ea, quae sunt ejusdem generis; *generica* demum inter ea, quae sunt ejusdem superioris generis.

99. Genus multiplex esse potest. Quandoquidem aut omnes omnino species in aliqua conveniunt qualitate, qua nulla alia est universalior, et *supremum* dicitur; aut aliquae species in aliqua conveniunt nota, quae proxime adhaeret speciei, et *infimum* appellatur. *Ens* est genus supremum, *animalitas* vero infimum. Alia inter ista existunt genera, quae *media* dicuntur, quia inter supremum, et infimum sunt. Ex quo patet, genus unum ad speciem reduci posse, si quoad genus consideretur se superius. Nam *substantia* ex. gr. licet respectu *corporis* sit genus, est tamen species respectu *entis*.

100. In ideis consideranda sunt *comprehensio*, et *extensio*. *Comprehensio* est complexus proprietatum, quas aliqua idea sub se continet; *extensio* vero complexus subjectorum, quae sub illa idea continentur. Sic hominis ideae *comprehensio* complectitur animalitatem et rationem, *extensio* vero omnia individua sub specie hominis contenta. *Comprehensio*, et *extensio* ita mutuo nexu devinciuntur, et ratione inversa progrediuntur, ut una aucta, altera semper minuatur, et vicissim. Sic si ideam hominis ad individuum ex. gr. Cartesium restringam, *extensio* unum continebit individuum, *comprehensio* vero omnes proprietates Cartesio proprias, et communes cum aliis hominibus; si vero ideam hominis ad genus extollam ex. gr. *animal*, tunc *extensio* omnia bruta, et omnes homines continebit, *comprehensio* vero proprietates *animali* proprias, et communes aliis superioribus generibus, nempe sensum, animam, vitam, substantiam, possibilitatem.

101. Hinc patet 1.° *comprehensionem* gradatim minui, cum progrediamur ad genera superiora, usque dum ad genus supremum perventi in una *possibilitate* eam reponimus; e contra minui *extensionem* cum a genere supremo ad media, et ab istis ad species descendamus; 2.° proinde magis individuum *comprehendere*, quam species, magis spe-

cies, quam genera; 3.° quare a genere ad species, et a speciebus ad individua nos recte ratiocinari, sed non vicissim.

102. Verum existitne extra mentem universalis ideae objectum? Hoc diu disputatum fuit Reales inter, et Nominales (§. 39.). Ast certum est contra Reales nullum existere reale objectum universale in rerum natura, cum, quidquid existit, omnimode determinatum, ideoque et singulare sit (§. 95 nota). Certum quoque est contra Nominales, universale cum suis proprietatibus existere in singularibus, uti homo ex. gr. existit in Petro, Titio, et quidem, ut animal ratione praeditum. Sic lis composita dicenda est. Quare doctrina Conceptionistarum (§. 39.) est vera; ideae enim universales sunt conceptus mentis habentes fundamentum in rebus ipsis, seu in similitudine individuorum saltem possibilium, quam efformamus ex comparatione plurium individuorum, aut abstrahendo qualitatem individui, despectis aliis. Adde, quod si ideae universales sint juxta Nominales verba et nomina, ideae esse debent, quia nomina sunt signa conceptuum mentis; et ideo ideas universales nomina universalia exprimunt, uti notat Rosminius (*Nuovo saggio vol.* 1. *c.* 4.)

103. Mentem hominis a singularibus ad universalia posse ascendere, et ab istis ad illa descendere, experientia interna edocemur. Duplici sua operatione mens humana hoc perficit. Nam a singularibus ad universalia proficiscitur *abstractione*, qua, posthabitis proprietatibus objecti, suam attentionem convertit tantum ad unam, quam veluti avulsam a suo subjecto respicit, ideamque sibi creat ejusdem speciei individuis communem, quae proinde universalis est; ab universalibus vero ad singularia mens nostra descendit *compositione*, qua ideae universalis objecto aliam, atque aliam addens notam, objectum ipsum reddit undequaque determinatum, et ideo singulare. Si ex. gr. mens humana, neglectis notis (§. 95.) jam allatis, unam doctrinam in Galilaeo contemplatur, hancque ab ipso veluti distractam, universalem ideam *abstractione* consequitur, omnibus doctis communem (1). Si vero illas notas (§. 95.) addat doctrinae, ideam Galilaei singularem sibi comparabit (2). Porro idea comparata *abstractione* dicitur *ab-*

(1) Praeter *abstractionem* ad ideam universalem efformandam, requiritur etiam *judicium*, quo affirmamus, qualitatem conceptam ab suo subjecto avulsam esse determinabilem e. g. in aliis individuis speciei, ad quam subjectum illud pertinet, ex quo illa qualitas est separata.

(2) Leibnitius (*Nouveaux Essais. l.* 3. §. 3.), et Rosminius (*Nuovo Saggio vol.* 1. *sez.* 3. *c.* 4. *a.* 8.) putant, nostram mentem ab ideis universalibus

stracta, *concreta* vero, quae habetur *compositione*. *Abstractio* analysim, *compositio* synthesim includit. *Abstracta* vocatur quoque ab aliquibus idea qualitatis, quam in objecto consideramus, neglectis aliis notis; ast haec dici potest *abstracta* quoad mentem, *concreta* vero quoad objectum. Non omnes ideas universales esse abstractas, putant aliqui, quia ex. gr. concreta est idea hominis in hoc exemplo: *homo est animal ratione praeditum*. Verum hic *concretismus* in mente est, non in objecto extra mentem posito, cum ideae universalis nullum sit objectum reapse existens. Quare quaevis idea *universalis* est *abstracta*, non autem quaevis *abstracta* est *universalis*; idea enim *abstracta* est idea qualitatis consideratae veluti avulsae a suo subjecto; idea vero *universalis* est idea qualitatis communis pluribus individuis, vel speciebus (§.98.). Sed quoniam quaevis idea *universalis* est etiam *abstracta*, ideo haec potest esse singularis, particularis, et etiam universalis. Deinde abstractio fieri potest quatuor praesertim modis, nempe 1.° concipiendo separatum ab altero, quod alteri conjunctum est, quodque separatum potest existere, uti animam absque corpore; 2.° concipiendo modum, nihil de substantia cogitando, uti albedinem absque corpore; 3.° concipiendo in modo aliquam affectionem, aliis affectionibus praetermissis, uti tantum directionem in motu, omissa velocitate; 4.° concipiendo aliquid commune pluribus individuis, vel speciebus, uti humanitatem in pluribus hominibus; hoc ultimo modo nascuntur ideae universales.

104. Praeterea in objecto (§. 95.) nostrae ideae aut unum quid dumtaxat discernitur, uti *color* albus; aut in ipso plura considerari possunt, uti *triangulus*. Primo casu idea *simplex*, secundo *composita* dicitur (1). Quare ad hoc, ut idea dicatur *composita*, non est necesse, ut objectum semper physicis partibus constet, sed sufficit, ut in ipso plures sint proprietates. Illud tamen non est omittendum, ideas simplices, et majori jure compositas, haud esse in omnibus easdem, quia non eadem est in omnibus sensuum structura, et status; non

ad singularia procedere, et non vice contraria. Nam juxta ipsos mens nostra post longum examen in objecto praeter qualitates communes esse quid proprium animadvertit. Sed perperam; quia, licet nos lateret ratio, cur unius entis qualitas a qualitate alterius entis simili sit diversa; tamen scimus, primam primi, alteram alterius esse propriam. Sic albedinem unius ab alterius albedine discernam, licet nesciam, in quo albedo unius ab alterius albedine differat.

(1) Ideas simplices partim *sensibus* acquirimus, uti sunt ideae colorum, saporum, odorum, sonorum, voluptatis; partim ope *reflexionis*, aliarumque facultatum animae, uti sunt ideae existentiae, cogitationis, voluntatis.

eadem educatio, et cultus; non eadem aetas, et sexus. Sic certe non eamdem habent ideam substantiae, Dei, imo odoris e. g. rosae, et ceteras hujusmodi omnes sive ignari, sive docti, sive sensibus bene valentibus, sive infirmis instructi. Ideae compositae aliqui *associatam*, de qua loquuti sumus (§. 94.), addunt, quam dicunt in mente excitatam occasione aliarum idearum, quae cum illa simul habitae sunt. Sic ex. gr. si, viso horto, amicum, quem allocutus sum in illo horto, recordabor, idea amici *associata* dicitur, quae ad compositam referenda est. Ideas *associatas* autem acquirere, seu efformare possumus *sensatione*, uti idea exercitus, quae plures continet alias sensibus habitas; vel *ratiocinio*, uti idea Dei, quam habemus ex universi contemplatione; vel *imaginatione*, uti idea centauri, quam ex aliis sibi efformant poetae, et pictores; vel *institutione*, uti sunt ideae, quas ex libris vel magistris excipimus.

105. Relate ad objecta sunt quoque ideae *reales*, quae objecta extra mentem existentia repraesentant, et *phantasticae*, quarum objecta ab ipsa mente efformantur. Idea solis est *realis*, est *phantastica* idea centauri (1). Ceterum etiam *possibilitas* potest esse objectum ideae *realis*, cum illa sit aliquid extra mentem, a qua minime dependet.

106. Insuper si objectum ideae cum alterius ideae objecto ita connectatur, ut unum sine altero concipi nequeat, idea dicitur *relativa*, uti idea praeceptoris connexa cum illa auditoris; si vero ideae unius objectum ex se intelligatur, neque alterius ideam excitet, illa *absoluta* dicitur, uti idea circuli. Et hic notamus, ideae relativae objectum ita aliquando videri absolutum, ut nulla connectatur relatione cum alio, cum tamen relationem ad aliud dicat. Exercitus ex. g. qui Romuli aetate *magnus* putabatur, *minimus* erat tempore Reip. Ideae quantitatum, et qualitatum accidentalium sunt semper relativae, quia quantitas, et hujusmodi qualitates plus, minusve admittunt. Sic *magnus*, *parvus*, *pulcher*, *deformis*, *doctus*, *ignarus*, *perspicax*, *hebes*, et alia hujusmodi vocabula ideas relativas exprimunt.

107. Objectum nostrae ideae aut ita in se existit, ut alio non indigeat, quo fulciatur, uti est *lapis*; aut alio indiget, in quo existat, uti *doctrina*. Illius idea est *substantiae*; istius vero *modi*. Porro idea *substantiae* est semper singularis, quia

(1) Saepe tamen idea *phantastica* accipitur pro idea rei corporeae, vel quae instar corporeae percipitur, quaeque *phantasma* in mente excitat.

est idea objecti existentis, licet non desint, qui tantum possibilitatem in *substantia* admitti posse contendunt. Idea vero *modi* est semper relativa, quia dicit relationem ad substantiam, in qua existit.

108. Demum idea dispescitur in *veram*, si suo respondeat objecto, et *falsam*, si non exhibeat rem, uti est in se. Cartesiani omnes veras; Lockiani neque falsas, neque veras; alias veras, alias falsas aextimavere Peripatetici. Dissidium forte manavit ex diversa ratione explicandi idearum *veritatem*. Si enim *veritas* in convenientia idearum cum objectis externis statuatur, aliae *verae* sunt, aliae *falsae*; si vero in convenientia idearum cum objectis a mente conceptis constituatur, omnes ideae verae sunt. Itaque nostrae ideae *objective* spectatae possunt profecto esse *falsae*, uti est falsa idea auri, quam quis sibi efformat videns aurichalcum, quia difformis est ab objecto; *subjective* autem spectatae sunt omnes *verae*, cum sint determinatae modificationes nostrae animae conceptis objectis conformes. Ceterum si veritas reponatur in *affirmatione*, vel *negatione* convenientiae attributi cum subjecto, neque falsitas, neque veritas potest esse in ideis, praesertim in hypothesi illorum, qui judicium in ideis non recognoscunt (§. 92.), quia tunc ipsae nil affirmant, vel negant.

ARTICULUS TERTIUS

DE IDEIS QUOAD MODUM REPRAESENTANDI OBJECTA INSPECTIS.

109. De ideis et hic disserendum est inspectis quoad modum, quo ipsae objecta repraesentant (§. 93.). Saepe accidit, ut quolibet loco, et tempore mens nostra aliquod objectum vivide perceptum ab aliis secernere valeat, ac certo decernat, illud esse; saepe vero tale perceptum objectum minime ab aliis valeat distinguere. Mens nostra primo casu ideam illius objecti *claram*, secundo *obscuram* habet, acceptis vocabulis a Physicis. Hinc male Condillachus (*Essai sur l'orig. des connois. hum. P. I. Sec. I. C. I.*) obscurae ideae vocabulum eliminandum esse putat; nam aliud est nullam, aliud obscuram ideam habere. Idearum obscuritas ex eo enascitur, quod plura simul mens nostra contempletur, aut rapide ab uno ad aliud progrediatur objectum, aut ipsa mens affectibus pulsetur, quo fit, ut probe non attendat.

110. Si mens nostra objecti percepti, et praecipuarum qualitatum essentialium, quibus ab aliis illud secernat, ideam

habeat, haec *distincta* dicitur; et *confusa* e converso, si mentem lateant illae qualitates. Ita Astronomus ideam Jovis *distinctam* habet, si compertae ei sint proprietates, quibus ille Planeta a ceteris distinguitur; *confusam* vero, si Jovem ita noverit, ut ejus nesciat essentiales proprietates, quibus ab aliis distinguitur. Idearum *confusio* praecipue oritur ex ideis qualitatum, quae in pluribus objectis diversae speciei esse possunt, uti maculata pellis leopardi, quae aliis convenit animantibus; et ex non determinata collectione idearum simplicium ingredientium in composita, uti videre est in quibusdam ideis moralibus, quae diversae solent esse in diversis hominibus. Verum claritas, et obscuritas, distinctio, et confusio non idearum affectiones sunt, sed mentis, quae agnoscit, vel non agnoscit, distinguit, vel confundit idearum suarum objecta.

111. Mens nostra deinde ideam habet *completam* alicujus objecti, si qualitates omnes essentiales, et accidentales illius percipiat, uti est idea trianguli in eo etiam, qui e limine Geometriam salutavit; *incompletam* vero, si primarias tantum notas perspectas habeat. Ast si mens humana in objecto percepto proprietates omnes tum essentiales, tum accidentales, necnon illius relationes, notasque notarum percipiat, idea tunc erit *adaequata*; uti erit *inadaequata*, si proprietates illas primarias, et secundarias tantum pernoscat.

112. Ex quibus inferri potest; 1. ideam claram cum confusa, distinctam cum incompleta, completam cum inadaequata fere idem esse; 2. analysi praecipue efformari ideas completas, quia analysi ideae decomponuntur; 3. minime nos posse substantiarum ideas reddere completas, et adaequatas, cum earum essentia sit nobis incomperta; 4. interim philosophum eo suas vires intendere debere, quantum potest, ut ideas rerum claras, dein distinctas, postea completas, demum adaequatas, quae tandem *comprehensivae* dici possunt, sibi, aliquo saltem modo, efformet.

ARTICULUS QUARTUS

DE MEDIO, QUO MENS CONSPICIT OBIECTUM A SE DISTINCTUM.

113. Tota recentiorum controversia in eo praecipue versatur, quonam scilicet medio (§. 93.) principium cogitans in homine ideas procreet; sive quonam medio objecta evadant intelligibilia. Aliqui lumen aliquod incorporeum excogita-

runt, quo mens extra, et intra se intuetur objecta, eorumque ideas comparat, uti oculus corporeus luce mediante materialia conspicit. Hoc porro lumen aliqui cum Deo, in quo omnia intueatur mens, confundunt; alii quid increatum et divinum dicunt; alii ingenitam quamdam ideam fulgoris instar coruscantem supponunt; alii quid creatum, et finitum. Ast verius cum Cl. Vincentio Gioberti est dicendum, nexum intelligibilis cum sensibili esse mysterium, ideoque frustra nos quaerere, quod numquam sumus intellecturi.

CAPUT SECUNDUM

DE IDEARUM SIGNIS.

114. Homo ipsius naturae impulsu ad societatem ineundam cum aliis ducitur, quidquid blateret Rousseau. In ipsa enim subsidium in indigentiis, in aerumnis solatium, in labore requiem facili negotio reperit. Verum haec commoda nemo posset adipisci, nisi simul cogitata sua pandere aliis valeret, aliique eum intelligerent. Interna sensa autem quisque aperire potest, aut naturali aliquo signo, ipsa natura impellente, uti *fletus*, aut signo aliquo arbitrario ab hominibus sancito. *Signum*, inquam, quod sui, et alterius rei ideam excitat, quodque *naturale* est, si ex natura sua rem demonstret, uti fumus ignem; *arbitrarium* vero, seu *artificiale*, si rem ex Dei, hominumve institutione ostendat, uti iris Dei pactum, cypressus sepulchrum. Ceterum saepe accidit, ut signum naturale arbitrarii veste induatur, uti si quis apposite in fletum, vel risum erumperet, licet neque tristitia afficeretur, cum flet, neque laetitia, cum ridet. *Signum* praeterea potest esse *rememorativum*, si rem praeteritam denotet, ut ossa, quae effossis sepulchris miratur agricola, denotant, ibi olim commissum fuisse praelium (*Geor. l.* 1. *v* 493); *prognosticum*, si rem futuram significet, uti radii, qui sub lucem erumpunt inter densa nubila, denotant, pampinum male defendere mites uvas (*Geor. l.* 1. *v.* 445.); et *demonstrativum*, si rem praesentem ostendat, uti umbrae majores cadentes de altis montibus labentis solis signum sunt (*Ecl.* 1. *v.* 84), quia (*Ecl.* 2. *v.* 67.)

Et sol crescentes decedens duplicat umbras.

115. Creditur, homines in primis usos fuisse ipsis objectis, ut suas manifestarent ideas illis respondentes, uti auri

fragmentum demonstrabant Americani, ut fodinas auri Europaeis ostenderent. *Symbolicus* sermo hic dici potest, atque consistit in electione quorumdam corporum vel formarum propriis ideis respondentium. Ad hunc sermonem reducuntur monumenta, insignia militaria, et gentilitia, et fortasse hieroglyphica, quamvis litteras ea alii putent. Ast suasi homines, objecta exprimi posse corporis actionibus, postea usi sunt *gestu*, qui *idioma mimicum* dici potest, quique est peculiaris motus corporis, quem adhibet mens humana ad suos patefaciendos conceptus. Ipso aliquando usae sunt cultiores nationes, Romanis non exceptis, et ipso etiam nunc utuntur in theatris culti populi. Sed demum sua cogitata homines voce manifestantes, ipsa voce conati sunt objecta imitari. *Vox* itaque est *sonus animalis ore prolatus*, (qui, sine articulis emissus, *inarticulatus* dicitur, *articulatus* vero, si emittitur per articulos, seu vocis inflexione) *cum intentione quidpiam palam faciendi.* Quare *vox* dici nequit campanae sonus, quia non est ore animalis prolatus, neque eadem est *vox* e. g. psittaci, et hominis, quia non illius, sed istius vox ad patefaciendas animi cogitationes est instituta. Ceterum bruta vocibus inarticulatis suos affectus solent promere sive inter se, sive hominibus. Ex articulatis vocibus confectus est *sermo*, cujus diversitatem ex vario modo, quo objecta conspecta sunt, et ex vario objecti charactere deducit Condillachus, cujus tamen systema hucusque allatum de sermonis inventione refutat de Bonald, aliique. Cum vero noscerent homines, quod voce dumtaxat tempore, et loco praesentibus fuissent loquuti, *scripturam* invenere, quae est signum objectorum fignris, hieroglyficis, characteribus, aliisque notis expressum. Patet ex dictis, fere omnia haec signa esse arbitraria, quia non ad illas ideas indicandas a natura jam statuta.

116. Ast potuissentne homines in silvis aberrantes, et numquam sermonem audientes, uti aliqui falso putant, non praeceptorem aliquem, sed naturae institutum sectantes, sermonis notitiam, usumque nancisci? An sermonis usum ab naturae auctore receperint primi homines, vel potius ipsimet de facto excogitaverint? Quanam lingua locuti sunt primi nostri parentes? Haec diu, et saepe quaesita sunt. Verum ad primum dicimus, quod homines in silvis aberrantes, uti falso supponitur, sermonem numquam invenissent, et quia omnis vocis articulatae prolatio fit ab hominibus ad imitationem aliorum, quibus loquentibus deficientibus, illa haberi nequit; et quia sermo totus efformari debuisset, saltem relate ad suas

partes essentiales, sine quibus nulla fuisset significatio, quod tamen nequit concipi in hominibus sermone destitutis; et quia plura linguae elementa nullum sensum reddidissent, nisi multiplici eorum combinatione, quae supponi nequit ante sermonis inventionem; et quia homines illi in silvis aberrantes toti supponi debent in praecipuis vitae sensitivae, et animalis necessitatibus providendis, ad cujus functiones exercendas non est necessarius sermonis usus. Deinde homo a singularibus incipit ideis (§. 103. not. 2.); dein ad universales ascendit; sed, ut ad has procedat, elementa singularia examinet oportet. Quoniam porro in quovis sermone, sive idiomate haec analysis, hocque examen factum supponitur; ideo, si quis sermonem reperivit, supponitur hoc examen primum fecisse. Igitur ante sermonis inventionem inventor examen elementorum sermonis facere, suarumque cogitationum materiale, et formale distinguere debuisset. Verum haec tanta humanae intelligentiae evolutio in quavis gente est sermone posterior; artes vero, et scientiae sermonem efformatum supponunt. Igitur non hominis, sed Dei opus dicendus est sermo articulatus. Vide hac de re Bonald (*Legisl. Primit. t.* 1.); Spedialieri (*Drit. dell'uomo l.* 1. *c.* 11.); Cantù (*Stor. univ. t.* 1.). Hinc recte cl. Mastrofini notat, illos, qui quaesierunt, utrum homo potuerit excogitare sermonem, de homine locutos fuisse extra societatem constituto, ideoque imaginario, et proinde imaginariam esse hanc disputationem (*L'anima, e suoi stati t.* 1. *l.* 2. §. 731.). Ad alterum quaesitum dicimus, Deum non elingues creasse primos homines, quos certe docuit sermonem, quo inter se uterentur, alioquin numquam illum formassent sermonem, uti ex primi quaesiti solutione eruitur. Deinde sine sermone Deus hominem reliquisset sibi uni in aerumnis, in miseriis, absque spe auxilium inveniendi. Ceterum veterum linguarum pleraque vocabula, ac in primis radices, a rebus ipsis extrinsecis profecta sunt, hoc sensu, quod inde veteres illi homines moti fuerint ad ea vocabula pronuncianda, uti ait Genuensis (*Log. Crit. l.* 2. *c.* 8. §. 4. *nota* (*a*). Bassani 1778.). Ad tertium demum respondemus, hebraica lingua locutos fuisse primos parentes, si Patribus, si Scripturae interpretibus, si Hebraeis Doctoribus sit adhibenda fides. -

117. Signa, quibus utimur ad nostras ideas aliis manifestandas, *verba* dicuntur, si voce proferantur, *termini* vero, si scribantur, licet hic utraque promiscue a nobis accipiantur. Et quoniam hisce signis homo veluti mente omnium hominum videtur cogitare; ideo verba et termini tum ad pate-

faciendas nostras ideas inserviunt, tum ad augendas nostras cognitiones. Et hoc adeo perspicuum videtur, ut ideae, et verba aequo pede ambulent, illaeque sint in ratione directa istorum (1).

118. Terminus, de quo hic agimus, dicitur *logicus*, quia est vox articulata, qua mens humana suas ideas explicat, aliisque pandit. Quare a *termino physico*, qui spatii cujusdam limitem denotat, secernitur. Quoniam vero ideae terminis logicis exprimuntur, ideo tot fere sunt termini, quot diversae speciei ideae. Quare termini sunt *singulares*, *particulares*, *specifici*, *generici*, *simplices*, *compositi*, *abstracti*, *concreti*... prout ideam explicant *singularem*, *particularem*... Non hic loquemur de termino *complexo*, quem *simplici* opponit Lockius, cum ipse ad *compositum* reducatur. Sed de natura vocabulorum, eorumque speciebus, atque de fine, imperfectione, usu, vel abusu eorumdem lege sis Genuensem (*Logico-Crit. l.* 2.)

119. Insuper est *terminus positivus*, qui realem quamdam ideam exprimit, uti *lapis*; *negativus*, qui qualitatis alicujus absentiam manifestat, uti *tenebrae*; *inanis* qui nullam ideam complectitur, uti *circulus quadratus*; *proprius*, qui aliquod determinatum objectum constanter declarat, uti *Cicero*; *univocus*, qui pluribus inservit exprimendis rebus, quae iisdem qualitatibus essentialibus potiuntur, uti *homo*; *aequivocus*, qui ad diversa manifestanda, quae in essentialibus pror-

(1) Condillachi sententiam profecto non sequimur, asserentis, hominem sine loquela nec analysim, neque synthesim efformare, neque ideas universales condere, neque demum intelligentia potiri posse. Scimus enim et nos, non ideo hominem intelligere, quia loquitur, sed ideo loqui, quia intelligit; imo mentem nostram posse vi sua dividere, et componere, ideasque universales cudere. Interea tamen maximae utilitatis est sermo 1. quia res non possunt esse semper praesentes, signaque nostri corporis nimis arcta sunt (§. 115); ideoque parvus progressus in scientiis sperari posset, si ad patefaciendas nostras ideas illis uti adstringeremur; 2. quia saepe signis multas rerum proprietates indicare deberemus, ut alii nos intelligerent, uti si ideam *auri* excitare vellemus; 3. quia quisque verbis ideas suas in mente figens, attentionem auget, memoriam adjuvat, imaginationem vivificat, meditationem diu sustinere valet, faciliusque analysim, atque synthesim perficit; 4. quia difficile ideas abstractas vitii, virtutis, gloriae aliis communicare signis possemus, difficileque etiam nos efformare, amoto sermone; cum e contra verba sint veluti vestigia, quibus iter nostrae demonstrationis aliis monstramus, nosque ad nostrorum ratiociniorum initium regredi valemus; sicque ideae abstractae, veritatèsque universales internoscuntur; 5. quia non signa, non res, sed verba sive viva voce prolata, sive scripturae consignata, faciunt, ut aliorum cogitatis, inventis, experimentis proficere valeamus praeteritis, aut in remotis regionibus factis.

sus differunt, adhibetur, uti *leo*, qui hominem, belluam, signum zodiaci exprimit; *analogus* seu *metaphoricus*, qui praedicatur de rebus essentia diversis, nonnullam tamen similitudinem habentibus, uti *pes*, quo utimur ad declarandam partem infimam montis, sumpta similitudine a membro hominis, qui *pes* dicitur; *synonimus*, qui eamdem ideam excitat, ac alius terminus; quamvis veri termini synonimi minime existant, cum omnes termini, qui *synonimi* dicuntur, eamdem ideam omnibus indutam circumstantiis non referant, eodem modo, eadem vi, eadem evidentia (1).

120. Sed operae pretium ducimus et heic vocabula, seu breves phrases explanare, quibus saepe usi sunt Theologi, aeque ac Philosophi scholastici, et modo etiam, licet non adeo tenacius, et frequentius, utuntur, ut illi, et isti recte intelligantur. *Per se* indicat, subjecto attributum necessario inhaerere; per *accidens* vero attributum accidentaliter convenire subjecto. *In actu* dicitur aliquid modo existens; *in potentia* aliquid extiturum, aut saltem possibile. *In actu primo* nuncupatur, quod exornatur potentia producendi aliquem effectum; *in actu secundo*, quod operando evolvit potentiam, qua ornatur. *In actu signato* dicitur scriptio explicationis alicujus rei intellectualis; in *actu exercitii*, quod speculative traditum practice completur. *Simpliciter* declarat, attributum sine ulla restrictione inesse subjecto, uti *Deus est simpliciter bonus*; *secundum quid* significat, attributum subjecto inesse cum aliqua restrictione. *Ut quod* causam principalem, seu subjectum denotat; *ut quo* indicat id, quo subjectum denominatur; uti *homo est sapiens*, homo principium *ut quod*, sapientia *ut quo* innuit. *In sensu diviso*

(1) Sed bic quaeri posset, nominibusne propriis, an universalibus, sive terminis propriis, an univocis primum homines vocaverint res? Leibnitius (*Essais, etc. liv. 3. ch. 3.*), et Rosminius (*Nuovo Saggio. vol. 1. sez. 3. c. 4. a. 8.*) contra Adamum Smith (*Dissert. sull' orig. del linguag.*) docent, homines primitus nominibus universalibus usos esse. Verum notat Melillo (*Nuovo Corso di Filos. Intell. Log. Emp. c. 2. a. 4. §. 3.*), originem nominum propriorum, et communium esse repetendam ex objectis, quae prius homines debuerunt nominibus indigitare; aliqua enim, ni propriis nominibus exprimantur, confunduntur, uti *quidam homo*; alia vero nulla est necessitas distinguendi, ideoque neque propriis nominibus indigitandi, uti bruta. Maxima tamen est nominum universalium utilitas: eorum enim adjutorio difficultatem in loquendo vitamus; facile in scientiis progredimur, in classes veluti sectis earum objectis; facillime intelligimur ab aliis, qui secus non semper nos intelligerent, cum res singulares eodem modo omnibus non exhibeantur. Revera omnia nomina cujuscumque linguae, paucis propriis exceptis, sunt universalia (Vide tamen §. 103. nota)

demonstrat, attributum actu non posse subjecto convenire; in *sensu composito* exprimit, attributum actu subjecto inhaerere, uti *caeci vident*, quae propositio vera esse potest *in sensu diviso*, sed falsa est in *sensu composito*. *Necessario* dicitur, quando subjecto adeo illud convenit attributum, ut oppositum repugnet; *contingenter*, subjecto convenire quidem illud attributum, sine quo tamen esse potest. *Materialiter* indicat, attributum ratione constitutivi subjecto convenire, uti *lapis est materialiter extensus*; *virtualiter*, subjectum consequi posse aliquam formam, qua actu caret; *eminenter* aliquam perfectionem, quae inest in aliquo subjecto, in alio splendidius, et defaecatius elucere. *Radicaliter* demum significat aliquam proprietatem, ad quam subjectum a sua natura impellitur, licet aliquando ea careat, uti *aqua est radicaliter frigida*, quamvis quandoque calefiat.

121. Ne pravus terminorum usus errorum origo sit, haec philosophus teneat; 1.° acquirat, noscat, adhibeat vocabula, quae satis aperte ideas proprias exprimant, ideoque vaga, obscura, inania devitet. 2.° Vim, et potestatem, quam usus vocabulis dedit, sciat, eoque in sensu, quo usus doctorum ea adhibet, iis et ipse utatur (1). 3.° Vocabula, quae necessitas invenire, aut adhibere cogit, usu contradicente, definiat. 4.° Determinatis, gravibus, concinnis utatur vocabulis; atque proinde tropos, et figuras, quantum rei ratio patitur, effugiat; nam haec pulchro utilissima sunt; ast, nisi noxia, saltem insidiosa vero (2).

(1) Nam verba non semper easdem res, neque apud omnes significant; ait enim Horatius.

Ut silvae foliis pronos mutantur in annos;
Prima cadunt; ita verborum vetus interit aetas,
Et juvenum ritu florent modo nata, vigentque.

(2) Sed prae oculis philosophus habere etiam debet 1. vocabula significare id, quod intelligit is, qui loquitur, vel scribit, sunt enim signa arbitraria; sic vox *Deus* non eodem sensu ab Aristotele, a Stoico, a Spinozista, a Theologo accipitur; 2. vocabula exprimentia affectiones internas animi, abstractasque ideas plerumque obscuritate laborare, quia non omnes intelligunt, neque possunt intelligere eamdem affectionum intensitatem, collectionemque modorum idearum abstractarum iisdem vocabulis; sic nemo scire potest, quantus sit *dolor* meus ex parentis obitu, et quid intelligam sub nomine *justitiae*, quae apud Romanos a Gladiatorum ludis non abhorrebat; 3. vocabula exprimentia ideas relativas saepe confundi cum eis, quae absolutas exprimunt (§. 104.), uti magnum, parvum; 4. vocabula exprimentia ideas simplices definiri non posse, ideoque neque intelligi, nisi prius ideae illis respondentes sint in mente praeconceptae; sic caecus ideas colorum non habens earum vocabula non capit.

CAPUT TERTIUM

DE JUDICIO

122. Postquam mens humana ideas sibi acquisiverit (§. 92.), in suis progrediens operationibus, illas comparat, ut relationem, quae inter ipsas intercedit, attingat. Facta comparatione aut unam in altera contineri intuetur, et copulat; aut unam in altera non contineri, et separat. Haec mentis operatio *judicium* dicitur (§. 91.); quod est mentis operatio, qua attributum subjecto ipsa mens affirmat, negatve, cognita prius eorum relatione. Ita ex. gr. *Deus est aeternus: materia non est cogitans*. Primum judicium *affirmativum*, *negativum* vero secundum nuncupatur. Ceterum judicia *negantia* subjective considerata ad *affirmantia* reducuntur, quia in illis mens *percipit* relationem non convenientiae; quae perceptio quid *positivum* in mente est. *Negatio* proinde est *objectiva*, nempe in forma expressionis, non in mente, licet contrarium videatur doctissimo Mastrofini, qui carpit Tracy, Cousin, Antonium Pezzi, qui judicia *negantia* rejiciunt (*L'anima, e suoi stati* t. 1. l. 2. n. 754).

123. In judicio notentur haec tria. Primo in ipso concurrit *intellectus*, qui contuetur idearum relationem, et *voluntas*, quae affirmat, negatve illarum convenientiam. Quare, deficiente actu voluntatis, idea non recte dicitur judicium implicitum (§. 92.). Ceterum multi negant, voluntatem concurrere in judicio, quod proinde definiunt claram perceptionem convenientiae, vel discrepantiae duarum idearum. Secundo ipsum judicium tria ingrediuntur, *subjectum*, de quo affirmatur, vel negatur aliquid; *attributum*, sive *praedicatum*, quod de subjecto affirmatur, vel negatur; *copula*, quae continet, vel exprimit nexum, seu relationem subjecti, et praedicati (1). *Subjectum*, et *praedicatum materiam* judicii continet, *copula* vero ejus *formam*. Tertio in judicio debet esse aliqua idea universalis, quae illi subjecto, aliisque ejusdem classis convenire debet, quaeque per attributum exprimitur. Sic ex. gr. *Petrus est sapiens*; *sapiens* ideam univer-

(1) Copula exprimitur per verbum substantivum *sum, es, fui, esse*, sed tempore tantum praesenti, quia judicium est actus mentis praesens. Quare propositio, *Virgilius fuit auctor Culicis*, respondet huic alteri, *Virgilius est ille, qui fuit auctor Culicis*.

salem continet, Petro, pluribusque hominibus communem (1). Ast quoniam turba deorum repugnat, quod de Deo asseritur, uni Deo convenire debet.

124. *Iudicia* alia sunt a *posteriori*, *experimentalia empirica*, *physica*, *contingentia*, *syntethica*, et alia sunt *a priori*, *rationalia*, *necessaria*, *analytica*, *pura*, *metaphysica*. Iudicium primo sensu acceptum est operatio mentis nostrae, qua dicimus, attributum, nobis experientia notum, convenire, vel non convenire enti subjecto sensibus internis, vel externis, uti e. g. *nix est alba*. Hoc judicium dicitur *a posteriori* quia ex attributo cognito ad subjectum assurgimus: *experimentale*, *empiricum*, *et physicum*, quae vocabula idem sonant quia experientiae, et sensibus fulcitur; *contingens*, quia potest a subjecti idea removeri praedicatum, quin illa destruatur; *syntheticum*, quia in ipso copulatur subjecto attributum extra subjecti notionem positum. Judicium vero secundo sensu acceptum est operatio mentis, qua, absque experientiae adjutorio, tribuimus, vel negamus subjecto concepto in ipsa mente aliquod attributum; uti e. g. *nullus effectus est sine causa sui*. Hoc judicium dicitur *a priori*, quia ab idea subjecti ad ideam attributi ducit; *rationale*, quia est mere opus rationis: *purum*, et *metaphysicum*, quia ab experimento non pendet; *necessarium*, quia mens nequit praedicatum non tribuere subjecto; *analyticum*, quia ex resolutione subjecti cognoscitur, ipsi tribuendum esse praedicatum in subjecti idea inclusum. Quare in primo judicio ita subjecto attributum conjungimus, ut, attributo ablato vel posito, subjectum non destruatur, neque ponatur; in altero vero, remoto a mente attributo, quod convenit, subjectum mutatur; posito attributo, quod non convenit, subjectum etiam mutatur vel destruitur. In primo ab experientia cognoscimus, subjecto illud inhaerer attributum, sed, utrum necessario inhaereat, nescimus. In hoc judicio, quod affert Galluppi, *nix est frigida*, attributum *frigida* non est in idea *nivis* inclusum; et possum

(1) Verum non adeo generalis est haec regula, ut nullum sit judicium, in quo attributum subjecto sit aequale in extensione. In judiciis enim identicis, de quibus postea loquemur, et in propositionibus, quae possunt converti, contrarium habetur, uti in judicio identico 7 5=12, e tin propositione: *homo est animal ratione praeditum*. Imo multa alia judicia refert Alphonaus Testa (*Il nuovo saggio di Rosmini esaminato dall'ab. Alfonso Testa c. 1.*), in quibus idea generalis omnino rejicitur, uti sunt illa, in quibus nostrum *ego* est subjectum, ejusque modi sunt attributa, aut facta singularia sunt subjecta, eorum vero modi sunt praedicata.

concipere mente mea, *nivem non esse frigidam*. In altero judicio vero adeo attributum subjecto inhaeret, vel non, ut contrarium concipere non possimus. In hoc judicio : $2+2=4$, adeo verum est, $2+2$ esse aequalia 4, ut contrarium concipere nequeamus. Itaque judicium *a posteriori* distinguitur ab judicio a *priori* 1. quia primum quoad suum objectum est *reale*, secundum vero est *reale* in mente, sed est *hypotheticum*, seu *ideale* respectu naturae creatae; 2. quia in primo possumus concipere subjectum sine illo attributo, quin illud subjectum destruatur, in altero hoc minime valemus efficere. Cl. Mastrofini (n. 755.) carpit tamen vocabula *analyticum*, et *syntheticum*, attributa judiciis, quia *analysis* est tantum medium ad judicia conficienda, non ipsa judicia, et quia *synthesis* est conceptio mentis nostrae, non ipsa rei natura, juxta quam judicia sunt statuenda. Judicium praeterea est *theoreticum*, si mens nostra tantum convenientiam, vel pugnam attributi cum subjecto intueatur, et asserat: *practicum* vero, si haec convenientia, vel pugna ex morum regula colligatur. Sic *anima est spiritualis*, est judicium theoreticum; *avaritia est fugienda*, est judicium practicum. Sunt etiam judicia *vera*, *falsa*, *certa*, *probabilia*, *improbabilia*, de quibus agemus, ubi de veritate erit sermo; *simplicia*, *composita*, *singularia*, *universalia*, de quibus verbum in sequenti capite faciemus (1).

(1) Kantius admisit etiam judicium *syntheticum a priori* (§. 67.), reposuitque illud in veritate concepta necessaria a mente nostra, uti est judicium *a priori*, sed attributum superadditum subjecto asseruit subjecto extraneum, uti est judicium *a posteriori*. *Synthetica a priori* vocavit iste philosophus haec judicia: $7+5=12$, et *nullus est effectus sine causa*; quia juxta ipsum in idea 12. non est idea $7+5$, et in idea cujusvis eventus non reperitur idea entis praecedentis. Cum vero non potuisset haec judicia ab experientia ducere, vel trahere a subjecto, formas, seu categorias statuit, a quibus conatus est ea derivare. Sed fallitur hic Kantius. Nam 1. si mens concipit, ut ipse docet, in judicio synthetico a priori veritatem necessariam, profecto concipit simul, subjecto necessario inhaerere attributum; ideoque attributum non esse subjecto extraneum, uti in synthetico judicio; ac proinde non syntheticum, sed analyticum est judicium. 2. Exempla allata a Kantio pro judiciis *syntheticis a priori* fulciuntur principiis identitatis, et contradictionis, de quibus postea loquemur; ideoque sunt tantum *a priori*. 3. In veritate necessaria, ac proinde in judicio necessario, si affirmans est, adeo attributum subjecto inhaeret, ut, illo ablato, hoc destruatur; si vero est negans, adeo cum subjecto pugnat attributum, ut, hoc posito, illud destruatur. Hoc vero falsum foret, si attributum esset subjecto extraneum, quia subjectum in hoc casu non destruitur, ablato, vel posito attributo. Vide Melillo (*Log. Raz. c.* 3. *a.* 1. et *Ideol. Gener. c.* 4. *a.* 3.). Post Reid, et Cousin (§§. 56. 64.), Damiron judicia emergentia ex quodam mentis *instinctu*, atque antevertentia omnem idearum perceptionem probavit.

125. Interim hos canones habeto. Si ideae sunt judicii fundamentum (§. 122.), judicium vero cognitionum nostrarum veluti fulcrum; oportet, 1. ut, antequam judices, praejudiciis te expolies; 2. ut non judices, nisi prius convenientiam, vel pugnam idearum pernoscas; 3. ut non judices ultra quod perceperis. Peccant in *primam* regulam, qui pessimorum librorum lectione aliquando delectati ex praeconcepta opinione cetera efformant judicia; in *secundam*, qui, quin ad omnes etiam minutas circumstantias, relationesque rerum attendant, festine concludunt, ita se res habere, uti qui turrim quadratam e longinquo visam asserat rotundam (Storchenau. *Log.* §. 93. *sch.*); in *tertiam*, qui sensationes in externis ponunt corporibus, quae tamen in ipsis non percipiuntur; vel qui duorum phaenomenorum, quae conjuncta conspiciunt, unum alterius causam, quod non capiunt, asserunt. Has tres regulas judicandi generales statuit Cartesius.

CAPUT QUARTUM

DE PROPOSITIONE.

126. Sicut idea voce, vel scriptura expressa *verbum*, sive *terminus* dicitur (§. 117.), ita judicium verbis expressum *enunciatio*, vel *propositio* nuncupatur. Hic itaque de *propositione* agemus. Sed quoniam *definitio*, et *divisio* ad propositionem aliquo pacto referuntur (1); ideo et hic de ipsis erit sermo. Quapropter in duos articulos totam rem partimur.

ARTICULUS PRIMUS

DE PROPOSITIONE

127. Quoniam propositio est judicium verbis prolatum (§. 126.), ac proinde *aliquid de aliquo affirmans, vel ne-*

Sed perperam. Siquidem 1. in hac hypothesi admittenda forent jam refutata judicia *synthetica a priori* statuta a Kantio; judicia enim haec *instinctiva* profluerent ex quadam naturae determinatione sine perspicientia motivi objectivi 2. In omni judicio subjecto tribuitur, vel negatur praedicatum; isti termini proinde sunt comparandi, ut eorum convenientia, vel pugna perspiciatur, ac propterea nullum est judicium ortum ex *instinctu*. Vide Galluppi (*Lez. di Log. e Met. lez.* 88.).

(1) Imo non desunt, qui putant, definitionem esse veram propositionem; quia sicuti in propositione attributum asseritur, vel negatur de subjecto; ita in definitione definito, quod est subjectum, aliquid tribuitur, vel negatur.

gans; ideo, sicut tria in judicio (§. 123.), ita et tria reperienda sunt in propositione; in qua tamen subjectum, et attributum *termini* vocantur, et quidem illud *extremum minus*, istud *majus*, quia majorem subjecto habet extensionem, licet aliquando attributum sit subjecto aequale in extensione (§. 123. nota). Non semper tamen illa tria exprimuntur, cum aut subjectum reticeri possit, uti, *est tonans*, *caelum* supposito; aut praedicatum, uti, *caelum pluit*, praeterito praedicato; aut *fulgurat*, subjecto, et praedicato omissis.

128. In propositione consideranda sunt. 1. termini; 2. qualitas; 3. quantitas; 4. oppositio. Propositio, quoad terminos inspecta est *simplex*, quae unum subjectum, unumque praedicatum concludit, uti *Deus est aeternus*; *composita*, in qua plura sunt subjecta, aut attributa, aut utraque, uti *Deus est omniscius*, *et omnipotens*; *complexa*, in qua subjecto, aut praedicato additur aliqua explicatio per aliam propositionem, quae *incidens* dicitur, uti ex. gr. *viri*, *qui sunt Ecclesiastici*, *doctrina*, *et sanctitate fulgere debent*, in qua propositione *principalis* est: *viri doctrina*, *et sanctitate fulgere debent*; *incidens* vero, *qui sunt Ecclesiastici*. Propositio *incidens* aut est *restrictiva*, si ideam attributi, vel subjecti propositionis *principalis* coarctet; aut *exornativa*, seu *declarativa*, si dumtaxat explicet subjecti, vel praedicati ideam, nil addens, vel demens. *Restrictiva* est, quae continetur in hac complexa: *Leo*, *qui fuit Papa decimus*, *scientias promovit*. *Exornativa* autem continetur in hac altera: *homo*, *qui est animal ratione praeditum*, *cogitat*; ablata *restrictiva*, principalis propositionis sensus mutationem patitur, quod in *exornativa* non contingit. Quare incidentes *exornativae* non sunt nimium urgendae, neque pertinaciter scriptoribus imputandae, contra vero *restrictivae*, quae sunt veluti pars principalium propositionum. *Incidens* non semper clare patet, uti: *viri Ecclesiastici doctrina*, *et sanctitate fulgere debent*, quae resolvitur per aliam jam relatam. De propositione incidenti, ejusque speciebus videsis Galluppi (*Lez. di Log. e Met. lez.* 43.).

129. Propositio *simplex*, si modum quoque exprimat, quo praedicatum subjecto haereat, *modalis* vocatur, quae quatruplex est ob modum quatruplicem, quo subjecto asseritur convenire attributum, nempe, *necessaria*, *contingens*, *possibilis*, *impossibilis*. Quare *modales* sunt sequentes propositiones: *circulus necessario est rotundus*; *lapis contingenter est gravis*; *possibile est*, *ut alter mundus creetur*; *im-*

possibile est, ut circulus sit quadratus. Si modus, quo subjecto conveniat attributum, non exprimatur, propositio dicitur *pura*, uti *circulus est rotundus.* Ut itaque propositio *modalis* sit vera, necesse est, ut attributum reapse conveniat subjecto, illoque modo conveniat.

130. Propositiones compositae sunt duplicis generis, aliae enim sunt *explicitae*, in quibus compositio patet; et aliae sunt *implicitae*, in quibus compositio latet. Propositiones primi generis sex recensentur. Nam explicite composita est 1. *Copulativa*, quae plura subjecta, vel praedicata concludit per voces copulantes *et*, *atque*, *nec*, *neque*; uti *anima humana est spiritualis, et immortalis*; aut *neque divitiae, neque carnis voluptates, neque honores cordi hominis faciunt satis.* Ut vera sit haec propositio, vera sint oportet omnia membra, quae sunt totidem propositiones simplices. 2. *Disjunctiva*, in qua subjecta, vel attributa copulantur inter se per particulas *aut*, *vel*, sic tamen, ut subjecto attributum asseratur vel negetur unum, quin dicatur, quale sit; *uti anima humana erit aeternum aut beata, aut misera.* Haec ut vera sit, membra nullum medium debent admittere. 3. *Conditionalis*, in qua praedicatum subjecto tribuitur sub aliqua conditione expressa per particulas *si*, *dummodo*; ex. gr. *si bene egeris, mercedem recipies, si male egeris, aerumnis afficieris.* Haec propositio constat *antecedente*, quod *conditionem* complectitur, et *consequente*, quod includit *conditionatum*, illa istius rationem continente; ideoque *consequens* nexu necessario cum antecedente connectatur opus est, ut *conditionalis* vera sit. (1). 4. *Causalis*, in qua ratio affertur, cur subjecto tribuatur, vel negetur *praedicatum*, quae ratio expri-

(1) Ceterum non ideo vera est propositio *conditionalis*, quod consequens descendat ab anteeedenti, atque cum ipso connectatur; potest enim fieri, ut falsa sit hypothesis, seu anteeedens, et tunc falsum quoque erit consequens, uti *si anima est corpus, est divisibilis.* Imo potest fieri, ut, ablato anteeedenti, verum remanest consequens, uti *si vesceris pane, satiaberis*, potes enim satiari alio cibo. Deinde animadvertatur, in propositione *conditionali* nil dici de veritate conditionis, sed tantum respici connexionem antecedentis cum consequenti. In hac propositione, *si Deus non existat, mundus non existit*, non veritatem condition's affirmo, sed tantum connexionem conditionis cum conditionato. Aliqui hic de propositione *categorica* loquuntur, in qua praedicatum subjecto sine ulla conditione tribuitur; uti est in illo versu: *sum pius Aeneas fama super aethera notus.* Credit Wolfius (*Riflessioni sopra le forze dell' intell. c.* 3. §. 7.), *categoricam* propositionem reduci posse ad conditionalem; sic propositio, *Deus est omnipotens*, aequivalet huic alteri, *si Deus habet in altissimo gradu perfectiones, est omnipotens.* Vide Galluppi (Lez. 5.).

mitur per verba *quia*, *nam*, uti *anima humana est spiritualis*, *quia est intelligens.* Ratio vera esse debet, ut vera sit haec propositio. 5. *Relativa*, in qua una pars ad aliam refertur, seu quae duarum rerum relationem amplectitur, quae relatio exprimitur per voces *sicut*, et *ita*, *talis*, et *qualis*; ex. gr. *talis populus*, *qualis sacerdos.* Veritas hujus propositionis dependet ab existentia relationis, ita, ut necessaria sit propositio, si relatio sit necessaria, et dubia, si relatio sit dubia. 6. *Discretiva*, in qua subjecto unum attributum negatur, et unum asseritur, aut attributum uni subjecto tribuitur, alteri negatur; sic ex. gr. *pater amans*, *non indulgens esse debet*; vel *doctrina*, *non divitiae meritum constituunt.* Veritas hujus propositionis depeudet ab oppositione partium, seu saltem diversitate partis negatae, vel affirmatae.

131. Propositiones *implicitae*, *seu exponibiles* sunt quinque; 1. nempe *exclusiva*, in qua uni tantum subjecto illud datum attributum, aut dato subjecto illud tantum attributum convenire asseritur, ceteris rejectis; e. g. *Deus tantum est omnipotens*; *magnes trahit ad se tantum ferrum.* Quando particula exclusiva afficit subjectum, propositio dicitur de *subjecto excluso*; quando afficit praedicatum, dicitur *de excluso praedicato.* Veritas est in hac propositione, si reapse datum attributum illi, et non aliis subjectis conveniat, aut dato subjecto illud tantum, et non alia conveniant attributa. 2. *Exceptiva*, in qua alicui subjecto negatur attributum, quod ceteris ejusdem speciei subjectis tribuitur; uti ex. gr. *omnes in Adam peccaverunt*, *excepta B. V. Maria.* Vera erit haec propositio, si reapse datum attributum non conveniat excepto subjecto, et nullum sit ex ceteris ejusdem speciei subjectis, cui non conveniat. 3. *Comparativa*, in qua duo comparantur subjecta, quibus unum tribuitur praedicatum, uni tamen plus, minus alteri; uti ex. gr. *bona aeterna vitae futurae prae bonis hujus vitae optanda sunt.* Vera haec propositio erit, si reapse utrique subjecto attributum conveniat, sed uni plus, alteri minus. 4. *Inceptiva*, in qua initium asseritur alicujus rei; uti *Ordo Minorum incepit anno* 1208. 5. *Desitiva*, in qua asseritur alicujus rei finis; uti *scholae graecorum saeculo quarto aerae vulgaris desiere.* Veritas harum propositionum deducitur a veritate statuti initii, et finis. Inceptiva semper desitivam continet, et haec illam; quia qui e. g. dicit, in saeculo decimo quinto incepisse artem typographiae, simul asserit, illam non fuisse ante hoc saeculum.

132. Propositio quoad *qualitatem*, seu *formam* inspecta est *affirmans*, vel *negans*, prout sunt judicia expressa per ipsam. Sicut judicium affirmativum tantum est, si subjective consideretur, ita et propositio. Ceterum in propositione affirmante attributum minime habet sensum universalem, uti habet in propositione negante: ita in affirmante *justitia est virtus*; *virtus* ad justitiam coarctatur, et propositio aequivalet huic, *justitia est aliqua virtus*; in negante, *homo non est lapis*, *lapis* sumitur in tota sua extensione, et propositio est eadem ac ista, *homo non est ullus lapis*. Quare 1. propositionis *affirmantis* praedicatum semper signat ideam particularem, seu tantum extensionem, et totam comprehensionem, quae sunt in subjecto; 2. propositionis *negantis* praedicatum constanter exhibet ideam universalem, seu totam ipsius extensionem, et non totam comprehensionem, sed complexum proprietatum simul acceptarum. Vide Storchenau (Log. §. 104. 105.), et Galluppi (*Lez.* 46.). Quoad *qualitatem* considerata propositio dici potest etiam *infinita*, in qua subjectum ex una parte coarctatur, ex altera infinitum remanet, et hoc habetur cum negatio non copulam, sed subjectum, aut attributum afficit. Sic *anima est non mortalis*, aequivalet huic propositioni: *anima alio modo quocumque potest existere*, *sed non ut morti obnoxia*; nempe *anima est*, *vel potest esse in quocumque alio modo* (sicque *anima* remanet in infinito modo), *sed praeter modum*, *in quo morti est obnoxia* (sicque coarctatur). Ex quo patet, propositionem *infinitam* supponere *negantem*, sed tamen esse *affirmantem*, quia de subjecto asserit quodvis praeter id, quod negatione excluditur.

133. Propositio quoad *quantitatem* considerata respicit subjecti extensionem; ideoque est *singularis*, in qua subjectum est undique determinatum, et quidem aut per nomen proprium, uti *Cartesius fuit scepticus*, aut per pronomen *hic*, *iste*, *ille*, uti *hic homo est sapiens*; est *particularis*, in qua subjectum continens ideam generalem restringitur ad partem aliquam per notas, *aliqui*, *nonnulli*, uti *aliqui Principes Ecclesiam sunt persequuti*; est *universalis*, in qua subjectum sine ulla restrictione acceptum extenditur, quod per voces *omnis*, *nullus* exprimitur, uti *omnes sceptici sibi contradicunt*; est *indefinita*, in qua non sunt quantitatis signa, quae subjecti ideam determinent, uti *bruta non sunt pura puta automata*. Propositio *singularis* dici potest *universalis* eo tantum sub respectu, quod subjectum, licet determinatum, accipiatur in tota sui extensione. *Universalis* propositio est

metaphysice universalis, si subjecto detur attributum, quod de omnibus omnino individuis in subjecto contentis possit enunciari, uti *omnis homo est ratione praeditus*; et *moraliter universalis*, si non omnibus omnino individuis tribui possit praedicatum, uti *omnes cantores rogati numquam inducunt animum cantare*. Hic recte jubent Logici, ut in legendis praesertim historicis, in quibus saepe universim omnibus tribuitur, quod tantum pluribus convenit, caveamus ne sine examine veluti *metaphysice* universalem intelligamus propositionem, quae est universaliter enunciata, neque proinde eam nimium urgeamus, neque demum ex ea propositiones indiscriminatim particulares deducamus. Propositio *indefinita* universalis erit, si praedicatum necessario subjecto conveniat; erit vero particularis, si conveniat contingenter. Hinc patet discrimen inter propositionem *indefinitam*, et *infinitam*; illa enim non habet adnexam notam quantitatis, haec vero habet particulam negantem ante subjectum, vel attributum; prima est: *homines sunt mendaces*; altera est: *Deus est non corporeus*.

134. Propositionum *oppositio* in eo reponitur, quod plures propositiones idem subjectum, idemque attributum habentes, inter se collatae, differant qualitate, vel quantitate, vel simul utraque. Hinc, quae differunt qualitate, seu una est negans, altera affirmans, dicuntur *contrariae*; uti *omnis homo est justus*, *nullus homo est justus*. Istae debent esse ambae universales, quia, si ambae sunt particulares, dicuntur *subcontrariae*, veluti *aliquis homo est justus*, *aliquis homo non est justus*. Quae autem differunt tautum quantitate dicuntur *subalternae*, uti *omnis homo est justus*, *aliquis homo est justus*. Quae demum differunt tum qualitate, tum quantitate dicuntur *contradictoriae*, uti *omnis homo est justus*, *aliquis homo non est justus*. Ad propositiones *contradictorias* reducuntur etiam duae singulares qualitate oppositae. Propositiones *contrariae* possunt esse ambae falsae, uti in supra allato exemplo, cum agitur de qualitatibus accidentalibus; aut una falsa, et altera vera, uti *omnis homo est ratione praeditus*, *nullus homo est ratione praeditus*, quia attributum est de qualitate essentiali; ast numquam ambae verae; modo attributum nullo pacto conveniat subjecto, quia in hoc casu possent esse ambae falsae, uti *omnis homo est animal volans*, *aliquis homo est animal volans*. *Subcontrariae* aut ambae verae sunt, si attributum qualitatem accidentalem exprimat, uti in exemplo supra allato; aut una

vera, et altera falsa, si praedicatum essentialem qualitatem exprimat, uti *aliquis homo est praeditus ratione*, *aliquis homo non est praeditus ratione*. *Subalternae* sunt semper aut una vera et altera falsa, uti in allato exemplo, quia de accidentali qualitate est attributum; aut ambae verae, si attributum essentialem qualitatem exprimat, uti: *omnis homo est ratione praeditus*, *aliquis homo est ratione praeditus*; sed numquam ambae falsae. *Contradictoriae* autem sunt semper una vera, altera falsa; uti constat ex exemplo supra posito.

135. De *conversione*, et *aequipollentia* hic loquuntur Logici. *Conversionem* in propositionibus vocant, cum subjecto attributum, et attributo subjectum *substituitur*, sed salva propositionis qualitate (§. 132.); ex. gr. homo est animal ratione praeditum: animal ratione praeditum est homo. Quoniam veritas laedenda non est hac *substitutione*; ideo *converti* nequeunt propositiones, in quibus, terminis *substitutis*, veritas illaesa non manet. Appellant vero *aequipollentiam*, si, judicium aliquod exprimatur diversis propositionibus eamdem veritatem reddentibus; e. g. Titius judicat: Titius est judicans: Titius comparat ideas inter se: Titius percipit relationem suarum idearum, etc. Alii dicunt, *aequipollentiam* haberi, cum propositiones oppositae inter se conciliantur, atque ad eumdem sensum reducuntur. Hoc vero fit, si particula *non* praefigatur alterutri subjecto, et copulae. Sic aequipollentes sunt: *omnis homo est ratione praeditus*: *nullus homo non est ratione praeditus*. Vide nostrum Fortunatum a Brixia (t. 1. Log. p. 2. sect. 5.). Haec innuisse sufficiat.

136. Apud Philosophos frequentissimus est usus aliquarum propositionum, quas explanare arbitramur. Propositio altera est *theoretica*, in qua solum subjecti, et attributi relatio notatur, uti *Deus est aeternus*; altera vero *practica*, in qua dicitur, aliquid esse faciendum, vel omittendum, uti *Deus est colendus*. Utraque vel ita manifeste patet, inspectis solis terminis, ut nulla indigeat demonstratione, et *indemonstrabilis* dicitur; aut demonstratione indigeat, ut intelligatur, et *demonstrabilis* nuncupatur. *Indemonstrabilis theoretica axioma*, *practica* vero *postulatum* dicitur; *demonstrabilis theoretica* dicitur *theorema*, practica vero *problema*. *Lemma* est propositio, quae desumitur ex alio doctrinae capite, quaeque inservit ad demonstrandam veritatem, de qua disputatur; sic ex. gr. est lemma, si primum demonstrem materiae non posse convenire cogitationem, ut dein animae spiritualitatem ostendam. *Corollarium* est propositio, quae

eruitur ex data definitione, vel facta demonstratione. *Scholium* est propositio, in qua clarius evolvitur, et explicatur proposita disputatio. *Hypothesis* est propositio, in qua, quia demonstratione non indigere creditur, uti vera supponitur, ac praemissa inservit probandae alteri propositioni, quae *thesis* appellatur. Quare axiomata, postulata, hypotheses non demonstrantur, sed interdum declarari debent.

ARTICULUS SECUNDUS

DE DEFINITIONE, ET DIVISIONE

137. Saepe contigit, ut alicujus rei, vel nominis sensum determinare oporteat, atque discrimen notare, quod inter illam rem, vel nomen, et cetera intercedit. Oratio illa, in qua explicatur, quod obscurum est, vocatur *definitio*. Haec *nominalis* est, si nominis alicujus sensum manifestet; *realis*, si rei naturam aperiat. Definitio nominis est haec: *nomine animae intelligo principium, quod in nobis cogitat*; realis definitio haec altera: *anima humana est substantia simplex, et ratione praedita*. Definitio *nominalis* arbitraria est, quia verba cum rebus nullam habent necessariam connexionem, atque ab *etymologia* distinguitur, quae est tantum *origo nominis*. Definitio *realis* saepe ad nominalem reducitur, quia nobis impervia est rerum essentia. Saepe etiam *nominalis* transit in *realem*, cum nominis explicatio simul rei naturam asserit, uti in hoc exemplo: *trianguli nomine intelligitur figura trium angulorum, triumque laterum*.

138. Definitio, in qua rei attributa notantur, *simplex definitio* dicitur; sed *descriptiva*, aut *descriptio* vocatur, si in ipsa etiam accidentalia evolvantur. Hac utuntur Oratores, Poetae, Naturalistae; illa vero Philosophi. *Descripsit* hominem Cicero, qui eum vocavit *animal providum, sagax, multiplex, acutum, memor, plenum rationis, et consilii. Definiunt*, qui hominem dicunt *animal ratione praeditum*. Definitiones, et descriptiones inventae sunt, 1. quia non semper praesto sunt vocabula analoga ad aliquid significandum; 2. quia res definitione, vel descriptione clarior evadit; 3. quia res videtur elegantior sic expressa.

139. Definitione primus scientiarum gradus acquiritur, atque lites, quae ex multiplici praesertim vocabulorum usu enascuntur in scholis, e medio tolluntur. Ad haec obtinenda

ob oculos ista habeantur; 1. nulla definitione declaranda sunt, quae sunt per se evidentia, ne obscura reddantur; 2. voces adhibendae sunt, quae audienti, aut legenti sunt perspectae, atque definiendae eae, quae aequivocum, inusitatum, aut improprium sensum habent; 3. definitio facienda est per genus proximum, et propriam differentiam (§. 98.); 4. ac proinde vox, quae definitur, ingredi non debet definitionem; 5. definitio vitiosa est dicenda, quae latior, aut brevior est ipso definito, cum quo converti debet (§. 135.); 6. definitio facienda non est verbis negativis, quia negatio, quid res non sit, non quid sit, exprimit. Sed haec regula exceptionem patitur, cum ex rei alicujus negatione alterius rei sequitur affirmatio; uti *simplex est, quod non componitur partibus*. (1).

140. Totius in suas partes distributio dicitur *divisio*, quae *physica* est, si *divisum* sit reale physicum, ejusque partes reali gaudeant existentia; *logica* vero, si *divisum* non sit quid physicum extra mentem positum. Corpus *physice* dividimus in partes, quibus constat; *logice* dividimus genus in suas species. *Divisio logica* est 1. *essentialis*, si partes rei essentiam constituentes cogitatione considerentur separatae *a parte rei*; 2. *accidentalis*, si partes ad rei essentiam non pertineant; 3. *generica*, si genus in suas species dispescatur; 4. *specifica*, si species in varias suas distrahatur categorias.

141. Principalis divisi partes possunt et ipsae dividi, et tunc habetur *subdivisio*, veluti si corpus humanum dividam in caput, brachia, pedes..., et postea caput denuo dividam in cerebrum, oculos, aures...

142. Haec circa divisionem prae oculis tenenda sunt; 1. ut divisio adhibeatur, quoties necessaria sit, ut clarae efficiantur ideae compositae, et complexae, aut alia hujusmodi perspicua reddantur; 2. ut divisio totum contineat, nempe omnes partes ingredientes totum recenseantur; 3. ut una divisi pars alteram non complectatur, neque pars numeretur, quae in diviso non est; 4. ideoque divisio brevis sit, quantum rei ratio postulat.

(1) Quoniam definire est ideam pluribus verbis exprimere; ideo idea simplex (§. 104.) nequit definiri, quia plura in ipsa non discernimus.

CAPUT QUINTUM

DE RATIOCINIO

143. Non omnia primo intuitu (§. 92.), nec semper rei attributum prima fronte mens humana conspicit (§. 122.). Tunc ad ideas claras, quas acquisiverit, cupida confugit, earumque unam seligens, ipsam comparat cum illis, quarum relationem nondum perspectam habet, atque ex convenientia, vel pugna assumptae ideae cum istis deducit, has inter se convenire, vel pugnare. Haec mentis operatio vocatur *ratiocinium* (§. 91.); quod proinde est illa mentis actio, qua, cognita prius relatione duarum idearum cum tertia jam assumpta, deinde convenientiam, vel pugnam deducit: seu qua ex duobus notis tertium nondum notum eruit judicium. Utrum anima humana sit spiritualis, ignoro. Tertiam ideam mihi notam, quae cum idea *animae*, et *spiritualis* nexum habet, assumam, nempe ideam *substantiae cogitantis*. Ratiocinium conficio: *substantia cogitans est spiritualis*; *sed anima est substantia cogitans*; *ergo anima est spiritualis*. In hoc ratiocinio ultimum judicium continetur in primo, et secundum declarat, ultimum in primo contineri. Sed potest secundum poni in loco primi, et primus in loco secundi, dicendo: *anima est substantia cogitans*; *sed substantia cogitans est spiritualis*; *ergo anima est spiritualis*. In quo ratiocinio servatur *inventionis* ordo; cum, examinato subjecto, *inveniatur* aliqua proprietas, cujus ope ignoratam reperimus. Porro in primo casu ratiocinium dicitur *demonstrativum*, quia, admissa veritate propositionis universalis, nequit particularis propositionis veritas negari; in secundo casu ratiocinium dicitur *inventivum*, quia in secundo judicio novum *invenitur* attributum, et in tertio subjecto tribuitur praedicatum hoc, antea ignotum.

144. Ex quo sequitur, tres ideas requiri in ratiocinio; duas scilicet, quarum relatio quaeritur, et tertiam in subsidium assumptam, quae *media* vocatur. Ista *media* idea modo cum una, modo cum altera e duabus comparatur, et sic duo efformantur judicia (§. 122.), ex quibus tertium eruitur, continens convenientiam, vel pugnam duarum idearum, quarum relatio ignorabatur. Duo priora judicia *antecedens*, tertium vocatur *consequens*, et *consequentia* dicitur *conse-*

quentis cum *antecedente* connexio (1). Tria judicia *materia*, *consequentia* vero ratiocinii *forma* nuncupatur. Quapropter ut ratiocinium recte concludat, necesse est, ut *consequens* in antecedente contineatur, atque illius veritas a veritate istius sequatur, uti videre est in exemplo (§. 143.) allato. Quare vitio laborat ratiocinium, si in *materia*, vel in *forma* peccet. Hinc fieri potest, ut *consequens* sit verum, licet non sequatur ab antecedente, quia deest *forma*. Sic ex. gr. *omne vivens est substantia*; atqui *anima est substantia*; ergo *anima est vivens*, quod consequens est verum, sed non ideo vivens est anima, quia substantia. Potest etiam fieri, ut consequens falsum sit, licet descendat nexu inviolabili ab antecedente, quia tunc deest veritas in *materia*. Sic ex. gr. *bonum est amandum*; *sed ebrietas est aliquid bonum*, ergo *ebrietas est amanda*, in quo ratiocinio secundum judicium falsum est. Quamobrem ex vero antecedente falsum consequens, atque verum consequens ex falso antecedente legitime erui nequit.

145. Sicut in judicio (§. 123.), ita in ratiocinio consensus, vel dissensus habet locum, cognita duarum idearum relatione, adjutorio tertiae (§. 144.). Hoc ratiocinium dicitur etiam judicium discursivum (§. 86.), et quidem *deductivum*, si a generalibus ad particulare mens descendat, *inductivum* vero, si ascendat a particulari ad universale. Quae verba respondent supra allatis (§. 143.), quibus duplex ratiocinium descripsimus *demonstrativum*, et *inventivum*.

146. Cum mens humana duas ideas cum tertia comparat, unum e tribus fieri potest. Nam aut deducit inter se convenire, cognita utriusque ideae cum tertia convenientia; vel discrepare, cognita unius ex illis cum tertia discrepantia; vel nihil deducit, quia neutram cum tertia convenire deprehendit. Primum illud nititur axiomate: *quae conveniunt uni tertio, conveniunt inter se*. Secundum axiomate: *ea, quorum unum cum tertio convenit, alterum non convenit, inter se non conveniunt*. Tertium axiomate: *ea, quorum neutrum cum tertio convenit, inter se convenire, vel non convenire, perspicuum non est*.

147. Sicut judicia (§. 124.), ita et ratiocinia varia sortiuntur nomina, nempe *pura* et *a priori*, *empirica* et *a*

(1) Quapropter *consequens* differt a *consequentia*; illud enim est tertium judicium ratiocinii, haec vero est *nexus* tertii judicii cum duobus praecedentibus, qui *nexus* est quiddam intelligibile, quod mente concipi, non verbis exprimi potest.

posteriori, prout illis *puris*, vel *empiricis judiciis* coalescunt. Sed quoniam in ratiocinio unum judicium potest esse *purum*, alterum vero empiricum; ideo ratiocinium *mixtum* dari potest; sic e. g. *quae conveniunt uni tertio*, *conveniunt inter se*; *sed ens A. et ens B. conveniunt cum ente C*; *ergo ens A. et ens B. conveniunt inter se*; primum judicium est purum, secundum vero nixum experientiae empiricum. Item datur ratiocinium *simplex*, vel *compositum*, de quibus in sequenti capite disseremus.

148. Jam vidimus (§. 144.), ideam mediam adhiberi in ratiocinio. Sed haec idea undenam eruenda est? Duae sunt regulae, aut enim a subjecti idea, sed ad speciem perlati, si individuum sit, vel ad genus, si speciem contineat, deducitur, aut ex attributi definitione. Primo casu, tribuitur subjecto, quod de specie, vel de genere asseritur; secundo vero praedicatur de subjecto, quod in definitione attributi continetur. Sic ex. gr. cum dico: *aer est corpus*; *sed corpus est grave*; ergo *aer est gravis*; ideam subjecti *aer* ad ideam *generis*, *corpus* eveho; cum vero dico: *quod premit corpora inferiora*, *est grave*; sed *aer premit corpora inferiora*; *ergo est gravis*, attributum *gravis*, definio. Ratio primae regulae ex eo eruitur, quod individuum in specie, et species in genere contineantur, atque individuo tribuatur, quod speciei, et speciei, quod generi convenit (§. 101. n. 3.). Ratio secundae regulae patet ex eo, quod definitio cum definito converti debeat, ut recta sit (§. 139. n. 5.).

CAPUT SEXTUM

DE ARGUMENTATIONE

149. Sicut judicium verbis expressum dicitur propositio (§. 126.); ita ratiocinium, ut tale praecise sumptum (§. 143.), verbis prolatum, *syllogismus* nuncupatur. Quare in *syllogismo* quoque, uti in ratiocinio, reperiuntur *antecedens*, *consequens*, et *consequentia* (§. 144.). Tres ideae ratiocinii (§. 144) in syllogismo *termini* vocantur, et quidem *major*, qui continet ideam attributi, *minor*, qui refert ideam subjecti (§. 123.), *medius*, qui ideam mediam (§. 144.) asserit. Terminus minor *extremum minus*, terminus major *extremum majus* nuncupatur in syllogismo. Verum non uno syllogismo ratiocinium proponi potest; sed aliis etiam formis, quae sub *argumenta-*

tionis nomine comprehenduntur. Quare, ut ordine hac in re procedamus, de singulis disseremus speciebus *argumentationis*, quae est modus connectendi propositiones ad veritatem consequendam aptus. Hae species sunt, ipse syllogismus, enthymema, epicherema, dilemma, sorites, exemplum, inductio, analogia.

150. *Syllogismus* itaque est argumentatio, quae constat tribus terminis, et tribus propositionibus ita connexis, ut a duabus primis tertia eruatur (§§. 144. 149.). Propositio continens praedicatum dicitur *major*, quae continet subjectum, *minor* vocatur, ambae *praemissae* appellantur, tertia vero dicitur *consequens*. Sic ex. gr. *omnis virtus est amanda*; *sed temperantia est virtus*; ergo *temperantia est amanda*. Syllogismus dicitur *simplex*, si simplicibus propositionibus construatur; *compositus*, si saltem earum una sit composita (§. 128).

151. Regulae observandae in syllogismo, ut recte procedat, sunt octo. Prima regula est: *terminus esto triplex*; *major*, *mediusque*, *minorque*. Nempe in syllogismo tres termini esse debent (§. 149.), ideoque vitiosus est syllogismus, in quo quatuor irrepserint termini, sive hoc expresse fiat, sive aliquis terminus duplicem sensum referat. Quatuor termini sunt in hoc syllogismo: *brutum est sensitivum*; *sed planta est vegetans*; *ergo planta est sensitiva*. Duplicem sensum continet vocabulum *taurus* in hoc altero: *quoddam animal est taurus*; *sed taurus est signum zodiaci*: *ergo quoddam animal est signum zodiaci*.

152. Secunda regula est: *nequaquam medium capiat conclusio oportet*. Hoc est, conclusionem non debet ingredi *medius terminus*, quia istius officium est, ut ejus ope extremorum relatio in praemissis dignoscatur. (§. 149), quae relatio in consequenti exprimitur. Vitio non caret proinde iste syllogismus: *omne corpus est grave*; *atqui lapis est corpus*; *ergo corpus est lapis*.

153. Tertia regula est: *aut semel*, *aut iterum medius generaliter esto*. Scilicet, medius terminus saltem semel in praemissis ideam universalem debet praeseferre; si enim bis particulariter sumeretur, duplicem sensum haberet, et ita quatuor termini forent (§. 151.). Vitium proinde latet in hoc syllogismo: *omnis arbor est substantia*; *sed homo est substantia*; *ergo homo est arbor*; quia *substantia* ad particularem ideam *hominis*, et *arboris* coarctatur. Ast quoniam idea singularis, accepta sine ulla restrictione, universali ae-

quivalet (§. 133.); ideo terminus medius bis singulari sensu accipi potest.

154. Quarta regula est: *quantum praemissae*, *referat conclusio tantum*. Si enim consequens in antecedenti contineri debet (§. 144); ideo latius patere nequit, quam est in praemissis. Sic non recte procedit iste: *Iudas Christum tradidit*; *sed Iudas fuit apostolus*; *ergo apostoli Christum tradiderunt*.

155. Quinta regula est: *ambae affirmantes nequeunt generare negantem*. Cum duae praemissae affirmantes sunt, continent relationem convenientiae subjecti, et attributi cum medio termino. Ergo consequens debet hanc convenientiam exprimere inter subjectum, et attributum (§. 144.), ideoque et ipsum affirmans sit oportet.

156. Sexta regula est: *Utraque si praemissa neget*, *nihil inde sequetur*. Nam, cum neutrum extremum convenit cum medio termino, non percipitur relatio convenientiae vel discrepantiae inter se (§. 146.). Sic in syllogismo: *Turcae non sunt Christiani*; *sed Itali non sunt Turcae*; *ergo Itali* ... nequit dici *sunt*, neque *non sunt christiani*.

157. Septima regula est: *Pejorem sequitur semper conclusio partem*. Idest in syllogismo, particularis relate ad universalem, et negans relate ad affirmantem, pejor, aut debilior dicitur. Porro conclusio debet esse *particularis*, si alterutra praemissa fuit *particularis*, secus latius pateret conclusio, quam praemissae (§. 154.); debet esse *negans*, si alterutra praemissa *negans* fuit; quia tunc alterutrum extremum a medio termino discrepat (§. 146. ax. 2.).

158. Octava regula est: *Nil sequitur geminis ex particularibus umquam*. Nam istae particulares praemissae sunt aut ambae affirmantes, et syllogismus peccat contra tertiam regulam (§. 153.); aut ambae negantes, et peccat contra reg. sextam (§. 156.), aut una negans, et altera affirmans, et tunc syllogismus, si est illatio affirmans, peccat contra reg. septimam (§. 157.); si vero illatio est negans, syllogismus peccat contra reg. quartam (§. 154.), cum in conclusione negativa attributum sit universale (§. 132.). Ceterum istae regulae ad hanc unam reducuntur, ut nempe consequens in antecedenti contineatur, et ab ipso rite descendat (§. 144). (1).

(1) Contra syllogismum, regulasque hic positas plura evomuerunt Raimundus Lullus, Platonici saeculi decimi quinti, Laurentius Valla, Rodulphus Agricola, Baco, Cartesius, Lockius, Condillachus, Tracyius, Bouchez, aliique plures, qui dicunt, syllogismum ostendere veritates cognitas, sed non dete-

159. Syllogismus compositus (§. 150.) est *copulativus*, si unam saltem ex praemissis habeat propositionem copulativam (§. 130.), et negantem. Ut recte construatur, 1. debent membra copulata esse vera, alioquin falsum foret consequens; 2. ita opposita, ut, uno posito, alia tollantur; 3. contenta in una ex praemissis, cum in altera debeat unum membrum affirmari, in conclusione vero cetera negari. Sic: *nemo potest simul dormire, et studere; sed tu dormis; ergo non studes.*

160. Syllogismus *disjunctivus* disjunctivam continet propositionem (§. 130 n. 2.). Ut recte concludat, debent membra opposita, et adaequate divisa esse ita disposita, ut, uno affirmato, cetera negentur, et vicissim. Sic ex. gr. non sunt opposita membra istius syllogismi: *Petrus aut pius, aut sapiens est, sed non est pius, ergo est sapiens*, potest enim esse destitutus *pietate*, et *sapientia*.

161. Syllogismus *conditionalis* est ille, in quo propositio major sub conditione aliquid enunciat (§. 130. 3.). Ut recte procedat, oportet, ut affirmetur, vel negetur *conditionatum* in consequenti, si *conditio* affirmata, vel negata sit in antecedenti; et hoc valet, cum *conditio* est vera ratio, cur verum sit *conditionatum*. En exemplum: *Si quis plurimum dilexerit Deum, multa peccata remittuntur ei; sed Petrus plurimum dilexit Deum: ergo multa peccata remittuntur ei.*

162. *Causalis* syllogismus habet causalem propositionem (§. 130. 4). Necesse est, ut allata causa sit vera ratio, cur tale attributum subjecto conveniat, vel non, ut probe procedat syllogismus. Quare male quis diceret: *Angelus est immortalis, quia citissime de uno in alium locum transcurrit; sed avis etiam citissime hoc peragit; ergo avis est immortalis*; nam ratio immortalitatis potius a spiritualitate deducitur (1).

163. Ad syllogismum refertur polisyllogismus, qui est plurium syllogismorum ita connexorum series, ut conse-

gere novas veritates. Verum syllogismum, ejusque regulas defenderunt, promoveruntque in Gallia Marmontel, Iosephus De Maistre, Cousinus, Saint-Hilaire; in Germania Leibnitius, Wolfius, Kantius; in Scotia William-Hamilton; in Italia nostra praeter Genuensem syllogismum sunt tuiti Galluppi, Ventura, Mamianus a Rovere, Romagnosi, Rosminius, aliique viventes doctissimi philosophi.

(1) Nihil hic moramur de *figuris*, et *modis* syllogismorum, de quibus ad ravim usque scholastici disputarunt. Vide-sis inter alios Galluppi. (*Lez.* 49. *ad* 53.)

quens primi sit major secundi, et ita deinceps. Regitur legibus syllogismi.

164 Syllogismum *methymema* sequitur, quod est argumentatio, in qua alterutra praemissa reticetur, quia facilis intellectu. Quare regitur legibus syllogismi. En exemplum: *bonum est amandum*; *ergo Deus amandus est*; praetermissa minore, *sed Deus est bonus*.

165. Si vero alterutri, vel utrique praemissae probatio addatur, syllogismus *epicherema* dicitur; uti: *qui vitiis indulget, nequit in scientiis proficere*: *quia in vanis, et noxiis tempus terit, et ad plura distrahitur*; *sed tu vitiis indulges*: *nam ludis, et vino das operam*: *ergo tu in scientiis non potes proficere*. Ratio addita vera sit oportet, ut haec recte procedat argumentatio.

166. *Sorites* est complexus propositionum, quae inter se ita colligantur, ut primae propositionis praedicatum sit subjectum secundae, et ita deinceps, donec subjectum primae, et praedicatum ultimae conclusionem constituant. Sic ex. gr. *anima cogitat*; *quod cogitat, est simplex*; *quod simplex est, partibus caret*; *quod partibus caret, in partes resolvi nequit*; *quod in partes resolvi nequit, est incorruptibile*; *ergo anima est incorruptibilis*. Sorites in tot syllogismos resolvi potest, quot sunt propositiones, duabus demptis. Ut recte concludat, opus est: 1.° ut nulla propositio sit falsa, vel dubia, alioquin talis erit conclusio; 2.° ut prae oculis habeantur regulae jam allatae (§. 151. ad 158.)

167. *Dilemma* est argumentatio, in qua disjunctivae propositionis membra ita disponuntur, ut, quodcumque eligat adversarius, semper aliquid contra ipsum in conclusione reperiat. Hujusmodi est illud, quo contra suum percussorem usus est Christus: *aut bene, aut male locutus sum*; *si male locutus sum, testimonium perhibe de malo*; *si autem bene, quid me caedis?* Ut vis argumenti non eludatur, oportet, 1.° ut medium nullum intersit inter membra disjunctivae propositionis, ita ut alterutrum concedere debeat adversarius; 2.° ut legitime sequatur conclusio ex membro concesso ab adversario; 3.° ut ab adversario in argumentantem retorqueri non possit.

168. *Exemplum* est argumentatio, in qua ex uno aliquo facto aliquid simile infertur. Sic ex. gr. *Si Magdalena salva facta est, quia Deum dilexit multum, et tu salvus eris, si multum Deum diliges.* Hac argumentatione utuntur praecipue oratores.

169. *Inductio* est argumentatio, in qua ex partium singularium accurata enumeratione universalis eruitur conclusio. Quare in ipsa mens nostra procedit a singularibus ad universale. Inductio erit *completa*, si omnia, quae sub idea universali deducenda continentur, recenseantur; *incompleta*, si dumtaxat aliqua. Illa ad probandum maximum robur habet (1); ista vero, si in necessariis, non in contingentibus adhibeatur (2). Sic non est necesse, ut omnes homines enumerem, ut concludam, *omnes homines ratione donari*, quia ratio necessario homini competit; ast, ut deducerem, *omnes alicujus societatis esse doctos*, enumerandi mihi forent, quia doctrina contingenter homini inhaeret.

170. *Analogia* est argumentatio, qua ex similibus effectibus similes causae, et ex similibus apparentiis similis natura deducitur. Videtur analogia quaedam inductio, quia idem singulis praedicatum tribuitur ex eo, quod similitudo in individuis conspiciatur (3).

(1) Licet enim nullam novam cognitionem nobis suppeditet *completa* inductio, utpote quae supponit satis probata singula, quae continentur sub idea universali; tamen ad scientiarum profectum mirifice confert ob unitatem quam tribuit singulis ideis, vel factis, et ob illationes inde deducendas. Sic, examinato, et reperto opaco quovis planeta, sole excepto, recte deducis, a sole omnes planetas lucem recipere.

(2) Imo aliquando ex uno facto consequentiam universalem inferimus. Sic puer, qui semel ob adustionem a candelae flamma dolorem expertus est, non amplius ad flammam digitum admovet, tribuens urendi proprietatem cuilibet flammae.

(3) Videtur mens nostra sponte tendere ad deducendum universale a singularibus. Ipsa enim ex eo, quod observaverit, qualitatem aliquam alicui convenire objecto jam examinato, objectis similibus non observatis eam convenire deducit, nixa principio: *objecta similia similes habent qualitates.* Insuper ex eo, quod datas causas in positis circumstantiis observaverit datos gignere effectus, colligit naturae productiones, et mutationes, suffulta principio: *causae similes producunt similes effectus, et e converso.* His porro principiis nititur *analogia*, nititur et *inductio.* Hinc patet, perperam Humium (§. 55) docere, nos non posse futurum ex praeterito umquam colligere, quasi natura in suo cursu non foret constans. Vide Galluppi (*Lett. Filos. lett.* 8.). Neque recte Paulus Costa (*Modo di comporre le Idee* c. 30.), aliique putarunt, inductionem tantum probabilitatis pondus habere, si sit incompleta; quia cum agatur de necessariis, et essentialibus, valorem certitudinis habet, uti patet ex exemplo allato (§. 169.), aliisque. Vide Melillo (*Log. Empirica* c. 4. a. 1.)

CAPUT SEPTIMUM

DE DEMONSTRATIONE

171. Est munus demonstrationis clarum, evidensque efficere, quod tenebris obvolvitur, ideoque probe deducere veritatem ignotam ex aliis indubiis. Quare *demonstratio* definiri potest *series propositionum inter se ita connexarum, ut ab notis ignota descendant tum ad veritatem assequendam, tum ad illam aliis suadendam.*

172. Demonstratio est *directa*, sive *ostensiva*, si innitatur principiis intrinsecis veritati demonstrandae, uti est illa, in qua Dei existentia a rerum contingentia educitur; et *indirecta*, seu *apogogica*, si ostendatur, sententiam nostrae oppositam ad absurda perducere, ut inde veritas intelligatur nostrae assertionis, uti si ex eo eruam Dei existentiam, quod in atheorum opinione causa foret sui causa, et effectus, atque effectus sine causa existeret, quae certe absurda sunt. Demonstratio *directa* assensum extorquendo docet; *indirecta* assensum extorquet, quin doceat (1). Insuper demonstratio est *a priori*, si a causa ad effectum, vel a rei natura ad ejus essentialia meus nostra procedat, uti si ex solis existentia illam lucis deducat; et *a posteriori* si ab effectibus ad causas mens nostra ascendat, veluti si a suis operationibus ad sui naturam introspiciendam proficiscatur. Verum omnis demonstratio *a priori* dicenda est, non in *se*, sed *cognitione*, quia semper incipitur a notioribus.

173. Ad recte efformandam demonstrationem requiritur; 1.° ut principia praestituta sint adeo vera et evidentia, ut ipsi admittant adversarii; 2.° ut strictim, et legitime ex principiis immediatae eruantur conclusiones, et ab istis aliae, et sic deinceps. Ceterum leges observandae in demonstratione evolventur, ubi de methodo agemus.

(1) Quare praeferenda est demonstratio *directa*, cujus vi anima meditantis in quiete manet, tutaque redditur ex cognitione veritatis deductae ex certis principiis. *Indirecta* e contra attrahit consensum, quin persuadeat. *Directa* tota fulcitur axiomate, *consequens in antecedenti contineri*, cum veritas deducta sit consequens respectu principiorum praemissorum; *indirecta* autem axiomate, *ex vero antecedenti non posse falsum consequens sequi.*

CAPUT OCTAVUM

DE SOPHISMATIBUS

174. Regulae syllogismi eo tendunt, ut veritas aperiatur. Quare si spernantur, errorem pro veritate amplectimur, aliosque fallimus. Iam vero argumentatio illa, quae ad praescriptos canones non est disposita, vocatur *sophisma*, accepto vocabulo a *sophistis*, qui ad incautos decipiendos fallacem dicendi rationem usurpabant (§. 22.).

175. Sophisma aut in verbis, aut in sententiis est. In verbis est; 1.° *aequivocatio*, si idem vocabulum modo in uno, modo in altero sensu adhibeatur, uti vocabulum *populus*, quod arborem, et hominum multitudinem designat; 2.° *amphibologia*, si vocabula sint ita disposita, ut dubius, et incertus sit sensus, uti illud delphicum oraculum: *ajo te Æacida Romanos vincere posse*; 3.° *fallacia plurium interrogationum*, si plura postulentur, quibus una responsione nequit satisfieri; uti, si quis judex interroget reuma solusne, vel cum aliis, nocte, an die crimen patraverit, unica responsione reus certe nequit satisfacere; 4.° *a sensu composito ad sensum divisum*, si nempe in conclusione praedicatum, quod convenit subjecto affecto aliqua proprietate, tribuatur ipsi subjecto, etiam illa proprietate remota; uti si quis ex eo, quod caecus non videat, dum caecus est, deduceret neque visurum, remota caecitate (§. 120.); 5.° *a sensu diviso ad compositum*, exprimit sensum contrarium antecedenti sophismati, uti si quis diceret, avaros non visuros regnum coelorum etiam poenitentia ductos, quia, dum avari sunt, regnum coelorum non videbunt: 6.° *a sensu collectivo, ad distributivum*, si nempe, quod toti collectioni tribuitur in antecedenti, tribuatur seorsim sumptis singulis in consequenti; 7.° *a sensu distributivo ad collectivum*, si, quod asseritur de singulis seorsim sumptis, de tota asseratur collectione; sed sophisma non foret, si de iis agatur, quae ab essentia dimanant; quia tunc rectum est argumentum *a distributivo ad collectivum*, essentia enim non pendet a collectione.

176. Sophisma est in sententiis; 1.° *ignorantia elenchi*, si quis nempe probaret, vel reprobaret aliud ab eo, de quo disputatur, uti faciebant Cartesiani, qui attractionem Newto-

nianam reprobabant, quasi haec sympatiam aristotelicam in vitam revocaret; 2.° *petitio principii*, si nempe quis veritatem probaret ex eo ipso, quod in quaestione versatur, uti si probaret animae immortalitatem ex eo, quod nequeat interire; 3.° *circulus vitiosus*, si ex duobus aeque dubiis unum per alterum, et hoc per illud probaretur, uti si quis vacuum negaret, quia ubique est materia diffusa, et materiam ubique diffusam diceret, quia nullum est vacuum; 4.° *non causa pro causa*, si nempe non vera ratio afferatur, cur subjecto tribuatur, vel negetur praedicatum, uti si quis Religionem Christi probrosam assereret ex eo, quod praetextu ipsius multae caedes factae sint, quasi nempe earum causa fuisset; 5.° *falsum suppositum*, si, quod falsum, vel saltem dubium est, tamquam verum assumatur; 6.° *fallacia accidentis*, si subjecto *necessario* tribuatur, quod illi per accidens convenit (§.120.)

177. Ast sophisma etiam vocatur argumentatio *ad verecundiam*, qua utitur, qui rationibus destitutus auctoritatem laudat viri, cui adversarius nescit contradicere; *ad ignorantiam*, qua quis ad rejiciendam suam opinionem adigitur, et ad amplectendam nostram, eo quod ipsi pro sua desint rationes; *ad hominem*, si nempe quis ex adversarii principiis aliquid contra ipsum erueret.

SECTIO II.

DE METHODO

178. Hucusque de tribus mentis operationibus loquuti sumus, de perceptione, de judicio, de ratiocinio, ac de modo etiam disseruimus, quo nostras ideas, judicia, ratiocinia aliis patefacimus. Sed hoc non satis. Necesse est insuper, ut ordine procedamus tum in adhibendis mentis operationibus, tum in connectendis terminis, propositionibus, argumentationibus, ut rite veritatem assequamur, inventam vero aliis manifestemus. Jam vero ars illa, in qua regulae traduntur, quibus probe disponuntur nostrae ideae, nostraque judicia tum in invenienda, tum in detegenda aliis veritate inventa, *methodus* appellatur (1). Methodus itaque in demonstratione con-

(1) Aliqui definientes *methodum* assumptionem principiorum, ordinemque, quo alicujus scientiae veritates evolvuntur, dicunt, methodum esse *initiativam*, quae principia subministrat, et *progressivam*, quae modum pro-

sistit (§. 171), atque Logicam ratiocinantem, et sermocinantem respicit. Triplex *methodus* distinguitur, *analytica*, *synthetica*, *scientifica*.

179. Mens humana *analytica* utens *methodo*, rem, veluti totum, in principio respicit, dein in suas dividit partes, hasque in alias minimas veluti frangit, quas explorat, expendit, scrutatur, ut dein, quid totum illud sit, concludat. Quare analytice aliquid ostendimus, si a singulari ad universale, a composito ad simplicia, ab effectibus ad causam, a toto ad partes pedetentim gradum faciamus. Quapropter, qui hac utitur methodo, advertat primum, utrum res, in quam inquirit, composita sit, an simplex; dein judicium efformet, cujus veritas sit perspecta, quodque sit toti inquisitioni fundamentum; postea ex hoc judicio proximas deducat conclusiones, et ex istis alias et alias, usque dum veritatem, quam scrutatus est, conspiciat. Sic analytice procedimus in hac nostra philosophia, in qua a primis et notioribus animae operationibus, ab istis ad operationes magis complexas, ab his ad animae facultates, ab istis vero ad animae naturam, ortum, durationem, etc., ascendimus. Haec methodus dicitur etiam inventionis, quasi nempe ad veritatem inveniendam sit aptior. *Abstractione* praecipue ipsa procedit (§. 103.)

180. E converso operatur mens nostra in *methodo synthetica*; cum a partibus ad totum, ab universali ad singularia, a simplicibus ad compositum, a causa ad effectus procedat. Qui hanc adhibet methodum, demonstrationem ingreditur a definitionibus, et divisionibus rerum tractandarum, ab his ad quaestionis statum descendit, deinde ad notiores veritates contendit, hasque disponit meliori, quo credit, modo. Synthetice procedunt in philosophia, qui, praemissa animae definitione, ad ejus descendunt facultates, deinde ad operationes, etc. Haec methodus *compositionis* dicitur, quasi nempe per ipsam ens componeretur. *Compositione* proinde graditur (§. 103.) (1).

cessuum facultatis cognoscendi evolvit; atque *initiativam* dividunt in *rationalem*, si principia ratione naturali nitantur, uti sunt Geometriae axiomata; et in *empiricam*, si sensuum testimonio fulciantur, uti est existentia naturae creatae pro Physicis.

(1) Solet comparari methodus *analytica* viae, quam aliquis arripit a valle ad montis cacumen; *synthetica* vero viae, quam quis persequitur a montis cacumine ad vallem: item *genealogiae*, quae incipiens ob aliquo ascendit ad atavos, comparatur *analytica*; *genealogiae* autem, quae ab atavis ad aliquem descendit, *synthetica*.

181. Condillachus docuit, analitica tantum methodo procedendum esse tum in inquirenda, tum in manifestanda aliis veritate. Analysim saltem in veritatis inquisitione adhibendam esse, putant omnes, qui a conscientiae factis discedentes, nullamque ideam ingenitam in anima admittentes, in sui investigationibus a sensibus, et experientia externa incipiunt, ac proficiscuntur, dicti proinde *empirici*, et *experimentales*. Verum *synthesi* utuntur, qui ab *ente absoluto*, *ab ego deificato*, aut ab *universali idea* incipiunt inquisitiones suas, atque omnes repetunt cognitiones. Synthesim proinde adhibuerunt Plato, Malebranchius, Neo-Platonici, Rosminius, Gioberti, recentioresque fere omnes Germani philosophi. Syntesim quoque veluti aptiorem in manifestanda aliis veritate plurimi amplectuntur. Nam, docent ipsi, tirones, quorum imbecillis mens est, magis definitiones, quae ideas continent universales, quam idearum congeriem objectum determinatum exhibentium capiunt, atque comprehendunt. In analysi, pergunt ipsi, ditissima veluti rerum fodina aperitur, seges idearum latissima, series propositionum, quarum una ab alia deducitur, quae omnia haud attingere, multo minus memoria tenere valet juvenilis aetas. Demum concludunt, quomodo haberi potest analysis perfecta, quae profecto est necessaria in rebus philosophicis (§. 169.)? Verum non desunt, qui putant alteram ab altera methodo minime sejungi, atque amice conspirare. Siquidem philosophus analyticus a singularibus ad universalia procedens, in fine componit, et syntheticus evadit; syntheticus vero philosophus ab universalibus ad singularia descendens, in scrutandis singularibus divisione utitur, atque fit analyticus. Inductio praecedit analyticam, sequitur syntheticam demonstrationem. Quare quaevis methodus est *analytico-synthetica* (1).

182. Ceterum quaecumque eligatur methodus, necesse est, 1. ut perspicue, nullisque ambagibus aperiatur quaestionis sensus; 2. ut dein definitiones, aut explicationes accuratissime tradantur; 3. ut divisiones, et subdivisiones fiant, ubi rei ratio postulat; 4. ut exordium sumatur a notioribus, et facilioribus, et dein, veluti per gradus, ad minus perspecta, et difficiliora descendatur, vel ascendatur pro methodi

(1). Operae pretium scientiarum doctores, me saltem auctore, efficerent, atque auditores dimitterent capaciores, si postquam *synthetice* veritatem tradiderunt, iidem docerent, qua tandem ratione sit inventa: ita enim aliis inveniendis veritatibus aptiores evaderent tirones. Verba sunt Genuensis (*Log. Crit. l. 5. c. 5. §. 2.*).

diversitate; 5.° ut nil praetermittatur eorum, quae ad propositam quaestionem solvendam, atque veritatem inveniendam aptiora videntur; 6.° ut animadversiones notentur, corollaria deducantur, quae a re demonstrata prono velut alveo fluunt, scholia apponantur, si res ita postulare videatur. (1).

183. Methodus *scientifica*, seu *disputationis*, est ordo servandus in litteraria concertatione duorum, vel plurium de re ad quamcumque disciplinam pertinente. Qui statutam thesim tuetur, *defendens*, qui eam oppugnat, *opponens* dicitur. *Methodus disputandi* est *Academica*, si stylo perpolito, et eleganti, more rethorum, argumenta, et solutiones proponantur; *Socratica*, quia Socrati adrisit (§. 21), si per interrogationes, et responsiones mutuas fiat concertatio, quae tunc *dialogistica* quoque vocatur, praesertim si inter duos versetur quaestio (2); *Scholastica*, quia per plura saecula adhibita in scholis a summis Philosophis, et Theologis, si concertatio absolvatur per syllogisticas argumentationes ab opponente propositas, atque a defendente solutas, vel exceptas. Haec postrema methodus, licet ad veritatis hostes profligandos aptissima videatur, ob quemdam barbarum, incultumque sermonem, qui in ipsa adhibetur, aliquantulum in desuetudinem abiit. Nos tamen eam a majoribus omni doctrina clarissimis acceptam in nostris scholis persequemur, sed sermonis asperitate nudatam, academiae amoenitate emollitam, barbarisque vocabulis, quae delicatis labiis sunt insuavia, prorsus expolitam (3).

184. Ut itaque haec methodus scholastica recte in concertationibus litterariis adhibeatur, necesse est 1.° ut defendens, et opponens in aliquo conveniant judicio, quod totius disputationis sit veluti fulcrum.

(1) Vide has regulas exemplis statutas, et demonstratas a Genuensi (*Log. Crit. l. 5. c. 5. §. 4. et seqq.*), penes quem et invenies (ibid. c. 6. et 7.) regulas proprias methodi analytici, et synthetici.

(2) Exemplo sit, quod narrat Facciolati. *Cithara daturne pulsanda nobili viro, an perito Citaraedo? Perito Citharaedo. Clavus daturne nobili viro, an perito Nauclero? Perito Nauclero. Valetudo permittiturne curanda nobili viro, an perito medico? Perito Medico. Ergo etiam ad Reip. regimen non viri nobiles, sed regendi periti.*

(3) Monemus proinde Seraphici Ordinis Lectores, ut quaestiones methodo syllogistica suis dictent alumnis, qui, ut in more est, theses vindicent ab adversariorum objectis quacumque non impedita hebdomada, coram omnibus, quibus harum litterariarum concertationum locum est datum ingredi. Ad rem paucis hic adnectimus regulas, quarum auxilio alumni ipsi discere poterunt modum scholastica methodo disputandi.

2.° Ut defendens apertissimis, et clarissimis verbis suam proponat thesim, omni involucro expoliatam.

3.° Ut dein opponens, vero propositionis sensu assecuto, conficiat argumentum ad Logicae regulas apprime constitutum, quod directe defendentis thesi adversetur.

4.° Ut postea defendens opponentis argumentum officiose excipiat, illud ad litteram, vel ad sensum repetat; in singulas argumentationis partes diligenter inquirat; judicium deinde decernat; veram concedat, dubiam distinguat, falsam deneget; omittat, quod ad rem non facit. Caveat distinguere consequentiam, quae est nexus consequentis cum antecedente (§. 144.), quaeque proinde concedi, vel negari debet, prout concessum, vel negatum fuit consequens.

5.° Ut deinceps opponens, subsumendo, suum prosequatur argumentum, ostendens, propositiones a defendente negatas, vel ex parte exceptas esse veras eo etiam in sensu, quo negatae fuerunt, aut eas thesim penitus evertere; sed verba aspera devitet. Sic semper ambo amice procedant.

6.° Verborum strepitus, clamores, aequivoca verba, inusitatae voces cane pejus et angue ab hujusmodi concertationibus arceantur, defendens modeste opponentem moneat, si argumentum in *forma* peccans iste proponat; urbanitate eum ad medium terminum revocet, si nexum abrumpens ab illo digradiatur.

7.° Defendens *falsum suppositum* (§. 176.) neget, si falsum, tamquam verum, statuerit opponens; atque ad *hominem* (§. 177.) respondeat, si ex principiis opponentis aliquid contra ipsum concludere valeat. Sed hae regulae magis usu ediscuntur.

SECTIO III.

DE VERITATE.

185. Logicae munus est mentis operationes in veritatis inquisitione moderari, atque regulas tradere, quibus aliis monstratur detecta veritas. Sed quidnam est veritas? Quidnam error? Quinam utriusque fontes? Haec omnia in praesenti sectione evolventur.

CAPUT PRIMUM

DE VERITATIS ESSENTIA

186. *Veritas* generice sumpta innuit convenientiam unius cum altero. Dicitur veritas *metaphysica* convenientia entis cum sua essentia, seu complexus attributorum, quae nullam involvunt repugnantiam, et entis determinant essentiam; *moralis*, convenientia signorum externorum cum internis animae cogitationibus; *logica* convenientia idearum cum objectis, quae ipsae exhibent. Quare veritas *metaphysica* respicit res, *moralis* signa, *logica* mentis nostrae conceptus; ac proinde dicimus veras res, verum sermonem, veras ideas.

187. Germani praecipue philosophi, qui *proprium ego* statuerunt omnis veri basim (§. 67.), veritatem logicam dumtaxat *subjectivam* probarunt. Quare juxta hanc opinionem veritas est adeo mentis modificatio, et quidem independenter ab objectis, ut veritas ipsa deficeret, deficiente animae cogitatione. Alii e contra *subjectivam* negarunt, atque tantum *objectivam* admiserunt, quae objectum repraesentat a mente distinctum, ut in se reapse est, eamque putarunt aeternam, increatam, necessariam, immutabilem, atque sine dependentia ab intellectu existentem. Juxta hanc sententiam, quam verissimam dicimus, veritas *logica* reponitur in una convenientia praedicati cum subjecto percepta ab intellectu, nempe *radicaliter* est in objecto, sed intellectus intuitio requiritur, ut *formaliter* veritas sit (1).

188. Veritatem definivit Rosminius *id*, *quod est*, sed haec veritas *metaphysica* (§. 186.), et non veritas generice sumpta est dicenda. Adde, quod in sua definitione Rosminius supponat verum suum systema, nempe in omnibus ideis supponi ideam generalem *entis*, quam vocavit veritatem in genere, utpote rerum exemplar (§. 92.) (2). Logicam itaque ve-

(1) Verum veritas *logica* potestne in *ideis* requiri, an tantum in *judiciis*? Videtur praecipue reponenda in judiciis, quia veritas haec est cognitio objecti: cognitio autem judicium est, quia ipsa non habetur, nisi convenientia, vel pugna inter subjectum, et attributum videatur. Sed quoniam ideae objectis, quorum sunt ideae, respondere vel non respondere possunt; ideo et in ideis veritas perquiri potest. Recole, quae dicta sunt supra (§ 108.).

(2) Rosminii definitio est accepta ab Augustino (*Soliloq.* l. 2. c. 5.), et vindicata a Matthaeo Liberatore (*Log. Spec.* §. 27.).

ritatem ipse reposuit in convenientia judicii cum suprema ratione, quam in *ente ideali* constituit. Haec tamen est potius certitudo, quia in illa convenientia conquiescit animus, prout ipse eamdem percepit.

189. Notamus interim, aliquid triplici modo cum nostra ratione comparari posse. Nam *secundum rationem* dicitur id, quod rationis naturalis virtute mens humana assequitur; *contra rationem* est id, quod principio contradictionis opponitur, ideoque naturae rationis humanae adversatur; *supra rationem* demum est id, quod aciem mentis humanae superat, atque transcendit. Quod est *contra rationem* pugnantia includit; sed nullam involvit contradictionem id, quod est *supra rationem*, a ratione autem naturali percipi nequit nexus subjecti, et attributi enunciatae veritatis, uti sunt arcana nostrae Religionis Sacrosanctae.

190. Insuper veritas *secundum rationem* dicitur *interna*, quae sita est in convenientia cogitationis cum objectis, quae extra animum non existunt, uti sunt veritates mathematicae, aut aliter existunt, quam insident in animo; *externa* vero, quae consistit in convenientia cogitationis cum objectis, quae extra animum existunt. Veritas *interna*, uti patet, non semper secum trahit veritatem *externam*, quia objecta in animo existentia possunt rebus externis non respondere (§. 108). Demum haec veritas, quae *secundum rationem* est, dicitur *necessaria*, si praedicatum cum subjecto connexionem adeo necessariam habeat, ut contrarium repugnet, uti *totum est qualibet sua parte majus*: *contingens* vero, si relatio praedicati ad subjectum aliter esse possit, uti *mundus est existens* (§. 124.). Haec multiplex veritas juxta objectum considerata magis demonstrat, eam objectivam esse, uti innuimus (§. 187).

CAPUT SECUNDUM

DE VERITATIS FONTIBUS, EJUSQUE SUPREMO CRITERIO.

191. Si veritas logica in convenientia sita est idearum cum objectis (§. 186), quomodo securus erit animus de hujusmodi convenientia? Quonam tandem medio noscet, judicia a se efformata donari veritate? Ancepsne semper haerebit? Aliqua profecto debent esse *indicia*, quibus suffulta humana ratio secura esse possit, uti mox videbimus contra Arcesilaum, Scepticos, Baylium, aliosque, qui putido ore, omne veritatis

criterium, omnemque proinde certitudinem inficiati sunt. Iam vero indicia illa aut omnem ab animo expellunt errandi metum, et *sufficientia* dicuntur, aut dubitationi locum relinquunt, et vocantur *insufficientia*. Ex sufficientibus indiciis enascitur *certitudo*, quae est status animi adhaerentis alicui propositioni, absque formidine errandi, quae certitudo *subjectiva* est, nam certitudo in statu animi humani reponitur. Hinc *certus* est aliquis, qui de judicio suo, quamtumvis velit, aut conetur, dubitare nullo pacto potest: si enim minima inest suspicio, aut sollicitudo, *certus* non est. Quae autem *objectiva* dicitur, potius *veritas* dicenda est, utpote reposita in objecto suis indiciis exornato, absque relatione ad intellectum (1).

192. Licet indicia mentem illustrent, uti solis lux oculos corporis ferit, tamen non omnia eadem vi pollent. Aliqua enim nec decipiunt, nec decipere possunt, ideoque animum reddunt omnino tutum, et haec *certitudinem metaphysicam* gignunt; alia veritatem constanter quidem annuntiant, sed nulla foret contradictio, si eam aliquando non comitarentur, et haec indicia aut sensuum testimonio innituntur, et *physicam certitudinem* pariunt, aut humanae prudentiae legibus, et *moralem certitudinem* in animum inducunt. Quare discrimen harum certitudinum non a statu animi, qui in omnibus tutus est, debet repeti, sed potius ex motivo, et qualitate indiciorum (2). Indicia illa, quae certitudinem *metaphysicam* de-

(1) Ceterum *certitudo objectiva* dici potest, si consideretur ex parte motivi assensum trahentis, et in objecto positi. Sic dicuntur *objective certa* Dei existentia, animae libertas, aliaque sexcenta. Imo et certitudo *vera* haec dici potest, quatenus est simul objectiva, et subjectiva, seu certitudo veritatem continens. Potest siquidem fieri, ut quis *subjective* sit de aliqua re certus, sive persuasus sit, rem ita se habere, attamen talis non sit; uti certus erat Lactantius de antipodum non existentia.

(2) Quare non ex omni parte probamus sententiam Filangieri (*Scienza della Legis. t. 3. c. 13.*), docentis, *relativam*, nempe pro mentium aestimatione, esse diversitatem certitudinis, non vero *absolutam*. Siquidem assensus cuicumque certitudini exhibitus excludit certe dubium, errandique periculum; sed perfectior est actus voluntatis adhaerentis metaphysicae, quam physicae, physicae, quam morali certitudini; imo majori propensione ratio nostra rapitur ad unam prae aliis; majori demum vi pollet motivum impellens ad assensum certitudini metaphysicae, quam physicae, physicae, quam morali. Quandoquidem certitudo *metaphysica* nititur connexione necessaria subjectum inter et attributum, quam nec Deus auferre potest; uti est illa, quae habetur in hac propositione: *totum est sua qualibet parte majus*; *physica* vero nititur constantia legum naturalium, quae a Deo inverti possunt, eventuque frustrari; sicque proinde potest evanescere connexio inter subjectum, et attributum, uti

clarant, resident in sensu intimo, si agatur de interna sensibili veritate; insidunt vero in intellectu, ratione, et sensu naturae communi, si illa indicia veritatem externam, et intelligibilem testentur. Indicia autem, quae certitudinem *physicam* inclndunt, ex sensibus externis anima colligit; uti ex auctoritate humana indicia certitudinem *moralem* inducentia. Hinc sensus intimus, intellectus, ratio, et sensus naturae communis nituntur ipsa rei natura, atque ex principio *identitatis*, sive a necessario nexu inter subjectum, et attributnm, ratiocinantur, vel dictitant; sensus externi legibus naturae, atque experientia ipsius facti fulciuntur; auctoritas demum humana fundatur in hominum testimonio, legibusque, quibus humani mores temperantur. De hisce proinde certitudinis, et veritatis fontibus est hic dicendi locus.

ARTICULUS PRIMUS

DE SENSU INTIMO

193. A sensu intimo initium sumimus, qui nobis propinquior est. Omnibus aeque patet, nos certos esse de nostra existentia, de nostra voluptate, de nostra tristitia, de nostro amore, de nostro odio, dum ad nostram attendimus existentiam, dum voluptate, vel tristitia afficimur, dum amamus, aut odio aliquem habemus. Iam vero illa quaecumque vis animi, qua hic semetipsum, suasque percipit actuales affectiones, dicitur *sensus intimus*, vel *conscientia*. Hanc aliqui vocant animae facultatem ab aliis facultatibus distinctam, quas tamen ipsa complectitur, et simul veluti suum objectum habet. Sic tenent Reid, Galluppi, aliique contra Aristotelem, Cartesium, William-Hamilton. *Conscientia* itaque revolvitur super terminum subjectivum, seu super statum *mei* internum, atque nosmetipsos nobis veluti revelat. Actus propterea *conscientiae* semper *reflexus* est, quippe qui reditu quodam super nosmet exercetur. *Conscientia* tamen solet dividi in *directam*, quae etiam *involuntaria*, et *spontanea* dicitur, et in *reflexam*, quae *voluntaria* dicitur, aut *simplex reflexio*. Prima habetur, quando apprehendimus internas animi affectiones ceu nobis inhaerentes, seu quo *ego* sentiens sentit, se sentire; secunda

est in hac propositione: *corpus tendit ad centrum. Moralis* demum fulcitur testimonio hominnm, et stabilitate legum moralium, quae relationem dicunt ad libertatem, cujus vi minus arctus redditnr nexus subjectum inter, et attributum, uti in hac propositione: *Alexander Darium subegit.*

habetur, quando affectiones internas confuse perceptas distincte nobis tribuimus, judicamusque, nos esse, qui illis afficimur, seu qua *ego* sentiens vertitur super seipsum, atque seipsum existere cum suis affectionibus introspicit. In prima *passivum*, in altera *activum* se prodit *ego* nostrum. Porro non conscientia *directa*, sed *reflexa* mens nostra, dum alia cognoscit, de se etiam cogitat. Hinc docent Transcendentalistae, *ego spontaneum* distingui ab *ego reflexo*, quatenus primum sit subjectum cogitans cum conscientia *directa*, alterum vero sit idem subjectum cogitans, sed cum *reflexa* conscientia.

194. *Metaphysica certitudine gaudere, quae objecta sunt sensus intimi*, ex eo praecipue colligitur, quod affectiones, quas animus experitur, sint ipsius animi modificationes. Cum vero sentit se modificari, atque suas percipit modificationes, certus est; si enim certus non foret, sentiret, quia modificatur, non sentiret, uti est in hypothesi. Deinde nonne tu dementem diceres, qui te non sentire, quod sentis, effutiret? Diceresne phaenomenon, et non potius reale mentis judicium, motivum illud, per quod percipis, quod sentis? Neque tu insistes, animum tunc illudi; non enim de causa suarum affectionum, sed de earum existentia, et praesentia in ipso animo hic loquimur. In statuenda hac, vel illa causa suarum affectionum certe animus potest illudi; ast non de ipsarum affectionum reali, et actuali existentia.

195. Neque proinde urgebis 1. exemplum somniantis, cui ex intimo sensu sibi et vigilare, et operari videtur, quod tamen falsum est. Nam et ipse somnians actu sensum vigiliae experitur, actu cogitat, actu sentit, se operari, actu dolet, actu tristatur, omnesque reapse, prout in vivida sua phantasia sunt, habet illas affectiones, dum dormit. Fallitur quidem, sed error est ex parte causae affectionum, quae aliunde, quam ex intimo sensu colligitur; non vero ex parte ipsarum affectionum, quae reapse insident in suo animo. Deinde nos de homine loquimur, prout, remotis impedimentis, reperitur in debita suarum facultatum dispositione, non autem de illo, qui est in statu non idoneo ad rite cognoscendum, et judicandum; de conscientia *reflexa*, et non de *directa*, quae una habet locum in allato exemplo; de conscientia, et non de imaginatione, cujus potius perturbationi est adscribendum, quod somnians videat praesentia, et realia, quae absentia, et phantastica sunt. Et hic non est praetereunda quaedam Galluppi (*Lez.* 102). adnotatio, nempe fieri posse, ut aliquam singularem affectionem haud intimo experiamur sensu, attamen ipsa in anima reapse

insideat, quia forsan ad ipsam attentionem non vertimus. Siquidem cum certi simus de aliquo in nobis existente, certi quoque sumus, in nobis non existere aliquid, quod pugnat cum eo, quod experimur.

196. Neque dicas 2., contradictoria non posse simul esse vera (§. 134), quae tamen veluti vera docet sensus intimus. Quandoquidem contradictoria ea vocantur, quorum unum penitus destruit alterum; quod fit, cum idem de eadem re sub eodem respectu considerata modo affirmatur, modo negatur. Quare contradictoria haud sunt, quae de eodem sub diversa ratione accepto praedicantur, et negentur. Ad nos. Sensus intimus quasdam affectiones secum pugnantes in nobis esse testatur, veluti caloris, et frigoris; sed in hisce affectionibus semper aliqua adest diversitas, vel *objecti*, veluti aqua, et ignis; vel *modi*, veluti intensior, et remissior; vel *actus*, veluti doloris et voluptatis. Sic ex. gr. si quis alteram in algentibus, alteram manum in ferventibus aquis demergat, duplicem frigoris, et caloris sensationem experitur, sed duplex causa est in duplicem agens corporis partem. Ita animus plures experitur affectiones specie contradictorias, quae contradictoriae non sunt, quia sub aliqua ratione diversa possunt, et debent considerari. Sed hoc sufficit de intimo sensu, quem criterium certitudinis metaphysicae statuimus circa veritates, quae sunt internae, et sensibiles.

ARTICULUS SECUNDUS

DE INTELLECTU, RATIONE, ET SENSU NATURAE COMMUNI.

197. Ubi mens humana aliquam contemplatur veritatem, haec aut statim illi affulget, aut subsidio alicujus mediae ideae. Prima principia sunt veritates primae classis, quia a mente capiuntur, vix cognita inter attributum, et subjectum relatione; conclusiones vero ab illis principiis deductae sunt veritates alterius classis. Hujusmodi veritates porro sunt, generatim acceptae, *necessariae*, *rationales*, *purae*, *a priori*, aut *contingentes*, *experimentales*, *empiricae*, *a posteriori*, prout sunt judicia, quae eas continent (§. 124.). Sed si de veritatibus a principiis primis deductis loquamur, eae sunt *purae*, aut *mixtae*, aut *empiricae*. Siquidem, si ambae praemissae in ratiocinio sint *a priori*, quia ambae veritates *necessarias* continent, ratiocinium erit *purum*, et talis erit veritas deducta a praemissis, veluti: *quidquid simplicem naturam habet*, *ca-*

ret partibus; *sed quod caret partibus*, *discerpi*, *et dividi nequit*; *ergo quidquid simplicem naturam habet*, *discerpi*, *et dividi nequit*. Si alterutra *praemissa* sit *a posteriori*, utpote quae continet veritatem *experimentalem*, et altera *a priori*, ratiocinium erit *mixtum*, et veritas in conclusione posita sequitur naturam *experimentalis praemissae*, quia debilior haec est (§. 157.); uti *quadratum est figura habens quatuor latera aequalia*, *et quatuor angulos rectos* ; *sed haec tabula habet quatuor latera aequalia*, *et quatuor angulos rectos*: *ergo haec tabula est quadrata*. Si demum ambae praemissae sint *a posteriori*, quia ambae *experimentales*, ratiocinium erit *empiricum*, et veritas deducta omnino *contingens*; veluti *qui studet doctus fiet*; *sed Petrus studet*; *ergo doctus fiet*.

198. *Principia*, quae sunt veluti *data*, ex quibus deducitur series argumentationum, sunt distinguenda a *principiis*, quae sunt *veritates elementares*, sine quibus series illa continuari non posset. Illa falsa esse possunt, licet recte procedat argumentatio, quae minime forsan peccat in *forma*; haec vero sunt semper vera, quia *axiomata* sunt, veluti: *quae conveniunt uni tertio*, *conveniunt inter se*; licet series continuata falsitatem praeseferat, quia forsan peccat in *forma* (§. 144.). Quare ex illis principiis veritas *materialis* sequitur; ex istis vero veritas *formalis* dependet ; quia, ut verum sit judicium deductum ab illis, illa vera esse debent; ut sit verum judicium deductum ab istis, in istis judicium deductum contineatur oportet. Insuper *principia* accepta veluti *data*, a quibus demonstratio initium sumit, sunt *a priori* (§. 197.), si universalitatem, et veritatem ex sola idearum relatione cognita praeseferant; veluti: *quae conveniunt uni tertio*, *conveniunt inter se*; *a posteriori* vero, si eorum veritas, et universalitas deducatur ab experientia. Porro quod recte sequitur ab illis principiis, verum est, quia conclusio induit naturam principiorum, ex quibus eruitur; quod vero recte deducitur ab istis, non semper verum est, quia forsan non vera sunt principia *a posteriori* jam praestituta. Sed hic notetur cum doctissimo Mastrofini, judicia *a priori* illa esse, in quibus essentia, et attributa concipiuntur ante existentiam in nostra analysi ; et *a posteriori*, quae praesupponunt existentiam entium, ex quibus trahuntur attributa (§. 124.). Veritates geometricae sunt *a priori*, quia ante existentiam e. g. quadrati concipiuntur ejus essentia, et attributa; veritates experientiae suffultae sunt *a posteriori*; quia praesupponunt objecta, in quibus experi-

mentum, vel observatio facta est. Deinde alia judicia sunt *a priori* ratione methodi, qua illa assumuntur prima in serie veritatum, et alia *a priori in se*, et ante quamcumque existentiam essentialiter animae intrinseca. Judicia *a priori* primo sensu multa sunt; sed nulla in secundo sensu, quia non ab anima humana est, ut res creatae sint, quales supponunt illae ideae (*L'anima* ec. t. 1. l. 2. c. 5. a. 6.). Ex quo patet, illa principia, quae sunt *veritates elementares*, quaeque habentur veluti principia *a priori in se*, et eo magis *principia, quae sunt veluti data*, et a quibus initium sumit demonstratio, supponere analysim, qua illa deducuntur, et statuuntur principia (§. 124). Ceterum nemo potest philosophari, nisi aliqua probet principia demonstrationi non obnoxia, quae innata veluti luce sua, et non ab aliis mutuata fulgent, tum quia veritas deducenda supponit praemissas, tum quia secus numquam finis poneretur postulationibus de veritate praemissarum. Istorum itaque principiorum non est petenda demonstratio, sed ad summum terminorum explicatio, istorumque idearum. *Itaque nec sine hac face progredi ulterius potest, qui philosophatur; et qui docet, auditorum mentibus tenebras effundit; tantum abest, ut eas illustret*, ait ad rem Genuensis (*Log. Crit. l.* 5. *c.* 5. §. 4.), qui tamen non negat, *principia scientiarum* ad examen revocari posse, et debere, cum plura hujusmodi principia post renatas in Europa litteras falsa detecta sint.

199. *Intellectus* hic est facultas, qua mens prospicit relationem attributi cum subjecto; *ratio* vero facultas, quae ex principiis alicujus veritatis alias, et alias mens humana deducit. De his diductius erit sermo in Ideologia speculativa. *Sensus naturae communis* est illa propensio, seu illa vis animo inhaerens, qua homines ratione utentes impelluntur ad quaedam efformanda judicia, et ad aliqua perspicienda, quorum attributum inter, et praedicatum adeo necessaria est relatio, ut nequeat non videri a mente, sicuti nullus est, qui illico non intuetur, *bina binis addita efficere quatuor.*

200. Non de mera existentia *communis naturae sensus* hic loquemur, sed de ejus infallibilitate. Licet porro non facile sit decernere, ad quae ipse extendatur, tamen ad principia, in quibus prima fronte attributi, et subjecti relatio percipitur, et ad immediatas conclusiones exporrigi, communis est sententia. Quare judicia, quae a *sensu naturae communi* dictantur, debent esse universalia, diuturna, constantia, principiis naturae rationalis convenientia, et excludentia alias cau-

sas, a quibus possent repeti. Secus non a *sensu naturae communi*, sed a praeiudiciis originem ducerent.

201. Neque hic est confundendus *sensus naturae communis* cum *consensu omnium gentium*, aut cum *auctoritate humana*; nam primus respicit veritates (§. 200.) relatas; alter facta, quae in physico rerum ordine se praebent conspicienda; tertia facta historica. Ille incepit cum natura humana, quia veluti surgit ab intellectu, et ratione, et non a quadam caeca vi, qua moti homines in aliqua prorumpunt judicia; non item consensus omnium gentium, et auctoritas humana. Ille fons est veritatum, quae intrinseca donantur evidentia, qua haud lucent, quae habentur ex consensu omnium gentium, et auctoritate humana. Ceterum sensus naturae communis amplectitur etiam universalem consensum, si iste respiciat principia generalia cognita; ast non vicissim. Quare nos confundimus *consensum universalem*, et *consensum omnium gentium*, licet non desint, qui distinguunt.

202. *Intellectus* itaque estne veritatis fons, et affertne certitudinem metaphysicam? Haec est prima inquisitio. Verum cum intellectus respiciat veritates *necessarias*, et principia *a priori*, non video, *quare fons veritatis dici nequeat atque metaphysicam non afferat certitudinem*. Siquidem, si illae veritates sunt semper eaedem, si eamdem semper retinent firmitatem, si nulla temporum vicissitudine obliterantur, si ipsae, inspecta tantum natura praedicati et subjecti, rapiunt animum, atque assensum extorquent; perspicuum est, illas veritates esse certas relate ad animum nostrum, et quidem certitudine metaphysica (§. 192.); ideoque intellectum veritatis esse fontem. Nisi hoc foret, nonne omnes scientiae nutarent? Ablatis illis veritatibus, quae tamquam faces collustrant, et detegunt ceteras, nonne Deus nos continuo falleret?

203. Ast aliqui opponunt, principia illa, quae prospicit intellectus, non posse esse absolute vera, et quia nemo est certus, res tales esse, quales sunt in ideis, et quia nemo scit idearum naturam. Sed respondeo, ut illa principia sint vera, satis esse, ut intellectus inter ideas relationem percipiat, qualis datur inter ipsas, ideoque opus non esse, ut ipse intellectus videat, res tales esse, quales sunt in ideis; praesertim quia illa principia praescindunt a rerum existentia.

204. Verum quid *de ratione* dicendum? *Ipsa quoque est fons veritatis certitudinem pariens metaphysicam*. Quandoquidem, si veritates deductae a principiis necessariis recte deductae sunt; si conclusiones sequuntur naturam principio-

rum, a quibus illae deducuntur; si principia illa sunt veritates metaphysice certae, quisque noscit, veras esse conclusiones. Sed rationis opus hoc est (§. 199). Ergo *ratio* est fons veritatis, atque metaphysicam gignit certitudinem. Et nonne conclusiones prono alveo descendentes ab illis principiis consensum extorquent? *Hic liber est major quolibet suo folio*, est veritas deducta a principio: *totum est sua qualibet parte majus*. Quinam labor necessarius est, ut haec capiatur conclusio? Et quomodo aliquae acquirerentur veritates, quae ab aliis necessariis inferuntur, quaeque nec sensibus, nec experientia, nec auctoritate humana attingi a mente possunt? Nonne in fumum abirent omnes regulae logicae, si quoties ratiocinium neque in *materia*, neque in *forma* peccat (§. 144.), conclusio veritatem haud contineret, animumque non raperet? Nonne et Deus nos perenniter illusos vellet?

205. Contra vim rationis nonnulli dicunt; 1. rationem humanam esse finitam, ideoque essentialiter fallibilem; 2. plures doctissimos deceptos esse in conclusionibus vi ratiocinii illatis; 3. rationem esse quid commune generi humano, ideoque non individualem, sed generalem generis humani rationem esse veri fontem.

206. Sed ad 1: dicimus contra De La Mennais (§. 63), cujus est haec objectio, rationem humanam fallibilem quidem esse in iis, quae superant ejus captum, uti fallibilis quoque est in iis conclusionibus, ad quas eruendas non adhibet media necessaria. Verum ex eo quod finita sit, minime sequitur, esse semper fallibilem. Ex eo enim, quod ipsa finita sit, non est *non ratio*, sed quid positivum est, ideoque aliquid debet certo cognoscere. Sequitur quidem ex limitatione rationis, plura esse, quae ejus vim excedunt, quaeque capit ratio Dei infinita; sed quia finita, finita cognoscere potest, et quidem si recte sua ratiocinia instituat.

Ad 2: respondentes non negamus, aliquos doctissimos viros in conclusionibus deceptos esse; verum hoc non ex eo ortum est, quod ratio in errorem inducat circa veritates legitime a veris principiis deductas; sed ex eo quod ratiocinium non recte institutum sit. Si falsae fuerunt praemissae, aut earum alterutra, sicque conclusio in praemissis non continebatur, profecto in errores prolabi debebant (§. 144.).

Ad 3: respondemus, sophisma hic confecisse De La Mennais; nam ratio est haereditas communis toti generi humano, quatenus istis individuis hoc componitur, ideoque est haereditas individuis data, quae singillatim eam adhibendo ve-

ritatem certo assequi possunt (1). Deinde, si ratio individui decipiatur, nonne deciperetur ratio universalis, si existeret? An essentia mutatur per collectionem (§. 175. 7.)?

207. Ad *sensum naturae communem* descendo, *qui fons veritatis est, et certitudinem metaphysicam affert*. Nam viguerunt apud omnes gentes quaedam judicia communia, et uniformia, quae neque ab educatione, neque a praejudiciis, neque ab opinionibus, neque ab auctoritate ortum habuerunt. Undenam illa, nisi ab ipsa natura rationali, quae in omnibus constanter eadem est? Undenam gentes cognoverunt ex. gr. *aliquod numen existere*; *post praesentem dari alteram vitam*; *Deum esse providum*; *unicuique suum esse reddendum*? Sed nisi vera essent illa judicia, quae a pectoribus veluti sponte erumpunt, et ad quae efformanda maxima hominum pars quodam naturae impulsu adeo adigitur, ut inviti etiam illa conficiant, nonne Deus, et natura, qui nil frustra moliuntur, frustra hujusmodi impulsum naturae humanae fuissent largiti? Nonne Deus et natura, qui numquam in necessariis deficiunt, in necessariis omnino defecissent, nisi vera essent illa judicia, quae ad vitam humanam componendam sunt prorsus necessaria, atque ab uno naturae sensu derivari possunt? Imo nonne ad errorem perenniter, et *per se* homines natura rationalis impulisset, si, ipsa semper impellente, et assidue clamante, falsae tamen forent ejus voces? Nonne hoc foret ipsam naturam humanam pessumdare, atque scepticismo latam reserare viam? Vide Iosephum Aloysium Dmowshi (*Inst. Logicae pars altera a. 7.*)

208. Contra *sensum naturae communem* plura etiam congerunt sceptici (§. 191). Dicunt enim 1. multos extitisse, qui nefandissime contra prima moralitatis principia peccarunt, ideoque sensum communem naturae non esse ve-

(1) Ad hunc errorem devenere aliqui *absolutistae*, ut humanas animas, mundumque materialem dicerent unius substantiae manifestationem; humanitatem unius entis membra; rationem unam esse, communem, immutabilem (§. 65.). Sed perperam. 1. quia neque mundus, neque animae humanae, uti postea demonstrabimus, sunt phaenomena, sed substantiae mutabiles, et contingentes; ideoque non Deus; 2. quia ratio humana in se considerata non est neque immutabilis, neque necessaria, neque infinita; 3. quia ratio humana est singularis, et personalis, uti docebimus infra (§. 423 nota); 4. quia Deus mutabilis, finiti, multiplicisque formas indueret, simulque foret immutabilis, infinitus, simplex. Itaque causa, cur homines sint conformes, unamque efficiant familiam, non ex unitate rationis communis, sed repetenda est a similitudine corporis, ejusque organorum, aequalium necessitatum, functionum, motuum, a quodam communi sermonis usu, atque demum ex similitudine, non vero identitate rationis.

ritatis fontem; 2. multa hujusmodi judicia, quae derivantur a sensu naturae communi, ortum habuisse a traditione primorum parentum; 3. certitudinem hanc, quae derivatur ex hoc fonte, esse omnino indignam philosopho, quia est certitudo moralis.

209. Sed ad 1: dicimus, impulsum rationalis naturae ad ponenda aliqua judicia respicere intellectus vim (§. 199); ex abusu vero libertatis factum esse, ut aliqui in nefandissima crimina prolaberentur. Quod certe stare potest, cum saepe nos videamus bona et probemus, sed deteriora sequamur. Deinde quaeri potest, utrum ii, qui contra moralitatis principia peccarunt, a natura rationali fuerint impulsi, ut judicarent, illa principia esse falsa; quod certe affirmari nequit. Insuper dato etiam, quod ita *speculative* alii credidissent, hoc unum sequitur, non recte ratiocinatos esse, sensumque naturae communem minime interrogasse. Demum non ex numero idem sentientium deducitur certitudo nostrorum judiciorum. Non idem est enim sensus naturae communis, et hominum consensus (§. 201). (1).

Ad 2: respondentes dicimus, potuisse quidem a traditione multa derivari judicia, quae a sensu naturae communi nos eruimus. Hoc in sensu ait Gioberti (*Introduzione allo studio della filos. t.* 2. *c.* 8. *pag.* 618. *Ediz. Brusselle* 1840.), non esse individuum, quod aliquo modo non participet de revelatione primaeva, vel instaurata, atque ubique inveniri fidei reliquias, germina benefica, quibus utitur Providentia, ut humana sistat familia, reliquias vitales, quibus regna, et

(1) Licet supra innuimus (§. 201.), sensum naturae communem amplecti universalem consensum, tamen quoniam hic illum non includit, de universali consensu aliquid praestat dicere. Itaque *omnium gentium consensus*, seu *universalis consensus* requirit locorum, temporumque universitatem; ideoque, ut hic habeatur consensus, necesse tantum est, ut aliquae veritates semper, et ubique sint creditae. Neque parvus numerus oppositum sentiens hunc consensum labefactat, quia pauci moralem universitatem (§. 135.) non tollunt, et quia illi pauci videntur contradixisse, ne veritates sibi ingratas admittere cogerentur. Hic proinde *consensus universalis pro veritatis fonte haberi debet.* Siquidem aliter error foret universalis lex naturae humanae, aut idem in omnibus decipiendi finis insidisset. Sed hoc postremum dici nequit, quia, experientia teste, homines contrarium sentiendi modum sectantur, et omnes ad veritates natura duce pelluntur, ac tendunt; neque alterum, quod sapientiae, et bonitati Dei contradicit, qui naturam humanam ad errorem necessario pronam condidisset, haecque falsum pro vero necessario amplecteretur. Sed quoniam veritates, de quibus homines consentiunt, non ab hominum perquisitione sunt repetendae; ideo ad aliquod primum principium est recurrendum, a quo ad homines illae primum manarunt, quodque nequit esse, nisi Deus.

nationes nutriuntur. Ceterum, ut hujusmodi fidei reliquiae servarentur, ratio quoque, seu sensus iste requirebatur. Prava exempla, morum corruptio, non ubique recta educatio, praejudicia multa, ethnicorum traditio, totque inventae fabellae in causa fuissent, cur illa judicia oblita remansissent, ideoque non sufficienter fuisset humano generi provisum, nisi sensus naturae communis ad haec judicia impelleret.

Ad 3: demum dicimus, haud esse indignum philosopho, uti Baylio placuit, certitudinem derivari ex communi naturae sensu; nam si ejus oppositum pugnat (§. 207), certitudo haec metaphysica est dicenda. Et etiamsi certitudo haec moralis foret, non video cur philosopho indigna esset dicenda; cum et philosophus acquiescere omni debeat certitudini, quae eruitur ex principiis, seu indiciis naturalibus, et diversa est pro diversitate motivorum (§. 192.)

ARTICULUS TERTIUS

DE EXTERNIS CORPORIS SENSIBUS

210. De fonte veritatum sensibilium externarum rerum heic dicturi, ab *organis sensoriis*, quae definiri possunt media, quibus anima intuetur, quae extra ipsam sunt, initium sumendum ducimus. Quinque ipsa sunt, videlicet *visus*, *auditus*, *gustus*, *odoratus*, *tactus*, qui per totum diffunditur corpus (1). Ipsis totidem respondent species *sensationis*, quae actio mentis est, uti in Ideologia speculativa videbimus. *Nervos* hujusmodi sensus habent, et *optici* vocantur, qui a cerebro ad oculos desinunt; *acustici*, qui ad aures; *olfactorii*, qui ad nares; *gustatorii*, qui ad palatum et linguam; generatim *sensorii*, qui in cuticulam totum corpus ambientem derivantur.

211. *Sensatio* hic est affectio illa animi, quae dum adest, exhibet nobis aliquod ut actu praesens, quod *corpus* nominamus. Quare duo admittimus in sensatione, prout rei tractandae ratio postulat, nempe *actio* in organum sensorium excitata, et *operatio*, qua mens hanc actionem perci-

(1) Reapse ad *tactum* ceteri referuntur sensus; nam corporis sapidi, et odoriferi moleculis tanguntur palatus, et nares; ab aere excitato a corpore sonoro aures; a lucis reflexione oculi. *Tactus* autem, ut est sensus specialis, non excitat sensationem copulatam cum sapore, odore, colore, sono; sed ut est sensus generalis, est causa omnium sensationum.

pit. Hanc mentis perceptionem sequitur quaedam spiritualis cognitio, qua animus se cogitare animadvertit, et quae cum *conscientia*, seu *intimo sensu* confundi potest (.§ 193). Haec pro confessis habemus.

212. Certum est, non ad omnia, quae existunt in rerum corporearum universitate, extendi organa sensoria, cum sensus omnino effugiant natura rerum, et modus, quo ipsis qualitates adhaerent. Quare in corporibus semper est aliquid, quod sensibus non perspicitur. Cum vero sensus, utpote materiales, fideliter mutationem acceptam referant, patet, ad animum spectare errorem, si quando credamus, aliquid ita esse, cum tamen ita non sit (1). Porro si aliquas adhibeamus conditiones, quas ratio, et experientia suppeditant, occasionem errandi vitabimus. Quare 1. organa sensoria sint recte disposita, nulloque inficiantur vitio; 2. objecta sint in debita distantia a sensibus; 3. nullum sit impedimentum inter sensus, et objecta; 4. medium, in quo respiciuntur objecta, sit constans, et uniforme; 5. cuique sensuum suum respondeat objectum, uti colores oculis, etc; 6. plures sensus adhibeantur, ubi fieri potest; 7. usus ipsorum sensuum diverso modo, et loco, et tempore fiat; 8. relatio sensuum praesens cum praeteritis conferatur; 9. instrumenta quoque adhibeantur, et quidem perfectiora; 10. mens attendat, dum sensus applicantur alicui objecto; 11. sensuum relatio sit conformis et testimonio aliorum hominum, et rectae rationi, sed praesertim divinae auctoritati.

213. Generatim testimonio sensuum adversati sunt sceptici antiquiores, et recentes, necnon Idealistae, quorum agmen ducit Georgius Berkeley (*Dialogues entre Hylas, et Philonous.*). Aliqui tamen corporum existentiam inficiantur, dicti *dogmatici*: alii dubitant, dicti proprie *sceptici*; alii unis facultatibus mentis persuasionem, seclusis omnino sensibus, tribuunt, dicti *mystici*: alii ad nostram existentiam demonstrationis vim coarctant, dicti *egoistae*: alii cum Malebranchio ad Dei revelantis auctoritatem recurrunt, et ii creatis rebus vires denegant. Omnes una voce cum Francisco De La Mennais (*Essai sur l'indifférence* t. 2.) clamant, sensus nos illudere, nihilque certum ab ipsis accipere.

(1) Nam, ut aliquis decipiat, vel verum proferat, necesse est, ut judicet; sensus autem judicare nequeunt; ergo neque decipere, neque verum proferre queunt. Objectum sensuum est quid *reale*, vel *phaenomenon*, sed ad animam spectat judicare, utrum illud quid sit verum, an falsum.

214. Quaeritur interim hoc loco, utrum ideae, quas animus sensuum ministerio assequitur, sint suis objectis conformes: ideoque sensuum ministerium sit adeo veritatis testis infallibilis, ut mens hoc nixa testimonio in convenientia idearum cum objectis sensibilibus acquiescat (1).

215. *Sensuum testimonium est veritatis criterium.* Nam 1. supposita corporis nostri existentia, et propensione referendi ideas nostras ad objecta praesentia, et externa, quae ex intimo sensu edocemur, certe ipsa corpora agunt in varia corporis nostri organa sensoria. Ast, si hisce nos decipiamur, quamnam normam habebimus vitae moderandae? 2. Deus nostrum corpus variis ornavit sensibus, ut per ministerium istorum objecta cujusque sensus propria, et quae ad nostri compositi conservationem aptiora sunt, nosceremus. Verum si per sensus decipiamur, nonne Deus nobis insufficientia tribuisset media? 3. Ablato sensuum testimonio, veluti veritatis fonte, ubinam erit tota illa cognitio, quae sensuum ope acquisita toti inservit societati? Ubinam erit revelatio ipsa divina, quae media sensibilia, et ideo sensuum ministerium supponit? 4. Neque sceptici, neque Idealistae facto suo negant, aliqua, quae per sensus habentur, esse vera, licet ore tenus hoc inficientur; ipsi enim escam salubrem a noxis secernunt, liquidum a solido, magnum a parvo, album a nigro, et alia sexcenta. 5. Cum animus sensationem efformat, statim ad ideam agentis sibi externi recurrit, atque seipsum ab objecto modificante distinguit; quod certe argumentum est, sensus vera referre. 6. Saepe et nos, cum aliquid veluti certissimum asserere velimus, observasse testamur propriis sensibus; quod probat, omnes impelli ad credendum, sensus esse veritatis fontem.

216. Interim audiamus, quid dicant adversarii. 1. Sensus haud referunt res, quales sunt, in totque nos pellunt errores circa figuras, colores, sapores, distantias. 2. Si sensuum testimonio esset fidendum circa aliquas veritates, certe, qui a nativitate sensibus destituitur aliquibus, veritates per eas

(1) Scientia nostra sive intuitiva, sive demonstrativa (§. 86.), quae acquiritur attentione ad illas mutationes, quae ab objectis externis in organis sensoriis producuntur, dicitur *experimentalis.* Verum objectum nostrae experientiae nostra industria, nostroque labore adhibito praeparatur, aut nobis exhibetur suapte natura, et sine nostra opera; in primo casu dicimus *experiri*, in secundo *observare. Observamus* eclipses, *experimur* aliquid quavis machina. Iam patet, objecta scientiae experimentalis esse singularia; haec enim tantum agere possunt in organa sensoria, atque mutationes efficere.

acquirendas numquam adipisceretur, quod absurdum est. 3. Sensus non sunt iidem semper, neque crastino die erunt ut hodie: quomodo certi essemus de rebus, quas hodie uno modo, crastino die autem altero modo sensus referunt?

217. Ad 1. tamen respondemus, sensus duo renunciare, nempe relationem, quam habent nobiscum objecta, et quasdam proprietates istis inhaerentes. Sed quaenam sit corporum essentia, quomodo illae proprietates adhaereant objectis, aliunde determinari debet. Deinde, ut sensus certitudinem in animum insinuent, debent applicari juxta regulas (§. 212.) allatas. Si aegroto cibus amarulentus sit, si icterico colores flavescant, si frigore correpto odiferae non existant substantiae, si surdaster non distinguat, quid ad nos? Si laudatae regulae prae oculis haberentur, nullus foret error, qui, ut vidimus (ibid.), animae est, sensusque non amplius, uti infideles testes, damnarentur.

Ad 2. Etiamsi aliquo sensu destitutus a nativitate veritates non acquireret, quas ope illius sensus alii adipiscuntur; non tamen inde sequitur, numquam sensibus esse fidendum, licet regulae ad hoc datae observarentur. Iste homo exciperetur a lege ordinaria, quod firmat veritatem ipsius legis. Deinde etiam iste homo, saltem in iis, quae suam respiciunt conservationem, potest aliquid scire, si aliis, qui sensibus non carent, se committat.

Ad 3. Non est tanta organorum mutatio, ut quotidie diverso modo referant suos motus; quod patet ex propria experientia, qua edocemur, eumdem cibum nobis salubrem esse, etiamsi per menses ipso vescamur. Deinde et ex intimo sensu monemur, quando aliqua mutatio in organis sensoriis facta est.

ARTICULUS QUARTUS

DE AUCTORITATE HUMANA

218. Licet quamplurimae veritates aut sensu intimo, aut intellectu, et ratione, aut testimonio sensus naturae communis, aut ope sensuum corporeorum acquirantur, hique fontes ad certitudinem nos procul dubio perducant; adhuc tamen aliquae existunt veritates, quae his a fontibus non derivantur, quasque certe mens nostra consequitur, et in iis tuta quiescit. Undenam revera factum aliquod in loco a me

dissito, aut tempore praeterito ante meum ortum cognoscam, nisi alter mihi narret? En necessitas auctoritatis, quae est testimonium illius, a quo movemur ad aliquod ferendum judicium sine errandi formidine, quaeque duplex est, *divina* nempe, et *humana*, prout testimonium fuit a Deo, aut ab homine. *Auctoritas divina* certitudinem parit metaphysicam; quia impossibile est, ut Deus, qui omniscius est, et verax, fallatur, aut decipiat; *auctoritas* vero *humana* parit certitudinem moralem, uti mox videbimus, si omnibus requisitis suffulta sit; quia legibus moralibus, quae vetant mentiri, et legibus prudentiae humanae, a quibus patet, omnes neminem umquam fefellisse, tota nititur. Consensus autem praestitus alicui assertioni propter testantis auctoritatem *fides* dicitur, quae et ipsa *divina* vel *humana* est pro diversitate testis. De humana auctoritate et fide est hic dicendi locus, quae praecipue locum habent in narratione historica.

219. Objecta, quae auctoritate humana innituntur, sunt *speculativa*, si respiciant veritates rationales, quas sine errandi formidine amplectimur ob narrantis auctoritatem, quasque haud amplecti deberemus, alterius testimonio dumtaxat fulti (1); et *externa*, ac *physica*, quae facta externa nobis, et physica omnino respiciunt, quaeque in historia recensentur (2). De his sermonem habemus. Haec porro facta sunt *coaeva* illis, qui narrant, aut *praeterita*; sunt *publica*, aut *privata*; sunt *naturalia*, aut *supernaturalia*; sunt *magni*, aut *levis momenti*; sunt *secunda pravis affectibus*, aut *adversa*.

220. *Testis* est, qui narrat aliquod factum, isque dicitur *oculatus*, si factum propriis oculis conspexit; *auritus*, si ab alio audivit; hic vero aut est *coaevus*, si tempore, quo factum contigit, vivebat; aut est *posterioris aetatis*. Testes vero factum referre possunt pluribus modis, nempe *orali traditione*, si voce; *historia*, si verbis, aut scriptis; *monumentis*, si permanentibus signis illud tradant.

(1) Ceterum testimonium sapientum, et in arte peritorum pro rudibus norma esse debet, nisi ipsi, qui argumentorum vim percipere nequeunt, illis veritatibus, de quibus sermo est, destitui malint.

(2) Historia est *politica*, *naturalis*, et *litteraria*; prima enarrat, quae hominibus societate copulatis accidunt; secunda, quae pertinent ad naturam rerum; tertia, quae respiciunt res litterarias. *Politica* est divina, ecclesiastica, et profana, et potest esse generalis vel particularis; *naturalis* in multiplicem speciem dispescitur; *litteraria* etiam in varias dividi potest classes, prout respicit unam, aut alteram scientiam.

221. Illud in primis pro certo est tenendum, eo fortius moveri animum nostrum ab alterius testimonio ad aliquod ferendum judicium, quo major *scientia*, majorque in illo supponatur *veracitas*, quae duae dotes in historico, seu quocumque teste, omnino requiruntur. Si enim testis factum nesciebat, aut scire noluit, vel nequivit, certe nulla est ei praestanda fides; uti non est adhibenda illi, qui *mentiri* solitus *veracitate* destituitur. Deinde hae regulae prae oculis sunt habendae. Relate ad factum, videndum est; 1. si sit *possibile*; si enim legibus naturae, et divinae repugnet virtuti, veluti falsum est rejiciendum; 2. si factum sit *sensibile*, nempe *sensibus* subjectum, et non ratiocinio, vel conjecturis suffultum; hoc enim in casu ad summum erit probabile; 3. si factum circumstantiis cohaereat; alias saltem suspectum reputetur. Relate vero ad testem haec considerentur; 1. si historicus alias mentitus sit: si mirabilibus delectetur: si a propria abripiatur auctoritate: si partium studio facile alliciatur, suspicionem sui praebet; 2. testis oculatus meretur fidem prae aurito; doctior, et veracior prae ceteris; plures prae paucioribus, ceteris paribus; 3. coaevus praeferri debet recenti, dummodo ille non sit abreptus *insita hominibus libidine alendi de industria rumores*, uti Livius ait, et dummodo iste rationem mendacii coaevo non addat; 4. recentiores testes factum narrantes vetustum tantam merentur fidem, quantum valent monumenta, quibus nituntur; 5. factum narratum ab uno, aut altero coaevo, silentibus aliis, veluti saltem probabile tenendum est, quia argumentum negativum nil concludit; 6. factum narratum ab idoneis testibus, addita ratione, quae minime intelligitur, non ideo est rejiciendum; 7. successiva confirmatio narrantium, neque auget, neque minuit primi narrantis auctoritatem, quae sola valet.

222. Quare haec sit generalis lex pro veritate historica. Si aliquod factum possibile stylo simplici, licet perpolito, narretur, nemine jure contradicente, a pluribus coaevis, sive oculatis, sive auritis diversis aetate, conditione, studio, educatione, religione, scientia, loco, tamen concordibus in essentialibus, pro *vero* accipiendum est. Imo certitudinem *quamdam* metaphysicam parit; si ob narrationem illius facti vexatio narrantium, incommodumque addatur; si coram illis narretur, quorum interest mendacium detegere, quique facile detegerent, si mendax testis foret; si demum nihil sit, quod jure opponi possit.

223. Ceterum multum deferunt auctoritati humanae, qui cum De La Menuais, et editoribus Bertini operis *De Institutionibus rationalis philosophiae*, impudenter asserunt, nullam relinqui certitudinem, ablata auctoritate divina, et humana, atque neminem posse dicere, *se existere*, nisi prius dicat: *credo*. Nempe isti, omnem scientiam auferentes, soli auctoritati fidunt, quasi suadeat magis auctoritas humana sine ratione, quam ratio sine hujusmodi auctoritate, et quasi non utantur ratione, qui ratione ducti putant, credendum esse auctoritati.

224. Medium iter itaque tenentes, *dicimus auctoritatem humanam derivatam a testibus idoneis* (§. 222.) *in pluribus casibus circa facta sensibilia esse certam veritatis normam*. Nam; 1. quando factum narratum omnibus notis comitatur relatis (*ibid.*); nulla est ratio dubitandi, nullumque dubium audienti, aut legenti relinquitur. 2. Tota facti certitudo praecipue eruitur ex scientia, et veracitate (§. 221) testis. Sed haec inveniuntur, ubi factum donetur circumstantiis relatis (*ibid.*). 3. Sceptici, quibuscum hic certamus, non negant, licet ore tenus aliter sentire videantur, extitisse Tullium, Virgilium, Demosthenem, Alexandrum, ac modo existere Romam, Parisios, Vindobonam, quamvis nec illos viros, nec has viderint urbes. Ergo aliqua veritas existit, quae tota fulcitur humana auctoritate. 4. Si omnia falsa forent, quae a testibus narrantur, tota rueret societas. Ecquis enim reum damnaret, ac innoxium absolveret, solum testibus suffultus? Ecquis Rectoribus crederet, eorumque jussa faceret, nixus alicujus Consiliarii, aut Ministri relatione? Ecquis se praecavere posset a tot malis, totque sibi commoda comparare, si nulli testi foret credendum?

225. Objectiones scepticorum praecipue ad has reduci possunt. Dicunt 1. Nullus historicus est, qui in aliquo non sit mentitus. 2. Aliqua facta prius uti vera recepta, postea falsa inventa sunt. 3. Sicut unus testis probabilitatem, ita et plures gignunt. 4. In factis miraculosis certitudo physica orta ex constanti legum cursu, pugnaret cum morali, cui proinde foret valedicendum, etc.

226. Ast contra est. Nam ad 1: dicimus, et concedimus, fere omnes historicos humanos in aliquo esse mentitos; sed nos non de uno historico hic loquimur, neque de facto ab illo tantum narrato. Nostra conclusio (§. 224) tota fulcitur pluribus concordibus testibus, omni exceptione majoribus (§. 222). Ecquis negaret Caesaris existentiam, a testibus nar-

ratam pluribus, licet diversimode sentientibus, ac aetate, loco, genio differeutibus?

Ad 2: respondemus, facta illa prius uti vera recepta, et postea falsa inventa, fuisse recepta absque examine, et sine regulis recensitis. Nisi examen praecedat, et regulae observentur, certe multa facta admittentur, uti vera, quae forsan falsa sunt. Verum nemo falsam unquam dixit, si scepticus excipiatur, ex. gr. Titi existentiam. Sic Baylio respondebis, qui objiciebat.

Ad 3: dicimus, unum testem ad summum probabile argumentum facere, quia de ejus scientia, et probitate non clare patet. Verum omnes testes non decepisse, imo neque conspirare in mendacium posse, ex dictis (§. 221. 222.) eruitur. Neque ex eo, quod unus fallax esse posset, sequitur omnes quoque simul collectos fallere potuisse, aut fefellisse. Siquidem a distributivo ad collectivum non valet argumentum, nisi in essentialibus (§. 175. 7.), et essentialis homini non est mentiendi voluntas. Deinde pugna illa, quam reposuimus in testibus (§. 222), satis superque monstrat, illos minime decipere, imo nec decipere potuisse.

Ad 4: demum dicimus, in factis miraculosis minime certitudinem physicam cum morali pugnare; nam illa respicit legum physicarum constantiam, haec vero exceptionem ex hac legum constantia. Si exceptio haec est factum publicum ab omnibus visum, et a testibus narratum, qui omnibus donantur dotibus (§. 222), ecquis illi contradiceret? Ille certe unus, qui miraculorum possibilitatem negaret, quae et ipsa in contingentia legum physicarum sita est, et in Dei omnipotentia, uti in Ideologia videbimus.

ARTICULUS QUINTUS

DE VERITATIS ULTIMO, ET SUPREMO CRITERIO

227. Plures sunt quidem fontes veritatis, qui certitudinem nobis afferunt, quique sunt veluti regulae partiales, a quibus hujusmodi certitudo hauritur, uti vidimus (§ 194. 202. 204. 207. 215. 224.). Verum hic de ultimo motivo est quaerendum, quod sit veluti ultimum complementum, et sigillum naturalis certitudinis, quodque alio non egeat criterio. Utrum hoc *criterium*, haecque *regula*, qua de veri-

tate omnium judiciorum nostrorum pronunciamus, existat, et quaenam ipsa sit, disputari potest (1).

228. Sed de ejus existentia haud erimus solliciti, cum sibi non cohaereant sceptici (§. 33.), et academici (§. 25), et qui cum iisdem sentiunt Petrus Baylius (§. 52.), Daniel Huetius (§. 54.), Berkeley (§. 54), David Humius (§. 55), aliique; de omnibus enim dubitantes se produnt dementes; atque passim refutavimus, de fontibus veritatis agentes (2). Sed quodnam sit hocce criterium, potius hic est quaerendum. Quot capita forsan, tot sunt sententiae. Tota lis est, uti nobis videtur, ex eo, quod diversam ineant viam in statuendo principio philosophiae, seu, uti dicitur, *il punto di partenza*. Ex hac opinandi diversitate circa laudatum initium factum est, ut Plato criterium in *evidentia intelligibili* reponeret (§. 24); Aristoteles partim in hac ipsa evidentia, et partim in ministerio sensuum (§. 26.); Epicurus in sensuum testimonio (§. 30), quem secutus est Sarpi (§. 70), omnesque materialistae. Cartesius in idea clara, et distincta rei (§. 45); Malebranchius in evidentia, quae vinci nequit, seu reali absoluto (§. 47); Leibnitius in triplici evidentia metaphysica, physica, et morali (§. 51); in sensu communi Reid (§. 56), Beattie etc. (ibid.), Basedow (§. 66.), aliique; in verbo Dei revelantis Bonaldus, De La Mennais (§. 63), aliique rigidi supernaturalistae; in quadam divina inspiratione Cousin (§. 64); in

(1) Quapropter, cur sensu intimo, aliisque evolutis acquirendae veritatis mediis non decipiamur, ratio est unicuique medio propria; cur vero cujuscumque medii rationibus non decipiamur, ratio generalis reddi debet, quae in *norma* seu *regula* ponenda est, qua prohibemur respuere certitudinem per illa media acquisitam. Iam patet, nos perquirere de criterio veritatis objectivae, non subjectivae; in hac enim veritate nulla falsitas esse potest, cum nulla pugna adesse queat inter ideas nostrae mentis, et nostra judicia, secus non videremus, quae videmus. Deinde perquirimus de criterio veritatis, quae respicit rerum potius existentias, quam essentias, quae plerumque nobis sunt impervisa.

(2) Neque cum scepticis, qui de omnibus omnino dictitant dubitandum esse, disputari potest; quia ad disputandum est ab aliquo procedendum principio ab utraque parte admisso (§. 198); sceptici vero immoderati omne inficiantur principium, imo et de propria dubitant existentia. Hujusmodi veritatis hostes tantum verberibus corripi possunt, aut, si malis misericorditer agere, in dementium domibus eos recludas oportet. Mirum est, etiam Alphonsum Testa (*Filos. della mente disc. 4. Della scienza delle cose*) totum esse in destruendis probationibus hucusque desumptis a Reid, Galluppio, Romagnosi, Degerando, et aliis a sensu intimo, a sensu communi, a consensu hominum, ab experientia, atque pariter in oppositis Idealistarum responsionibus refutandis, quin, quid ipse opinetur, demonstret. Sic autem nos in scepticorum castris relinquit.

lumine mentem movente, et illustrante, aut in Deo, aut in *ego* deificato, aut in nihilo Kant (§. 67), Fichte, Schelling (§. 68); in idea absoluta Hegel (§. 69); in principio contradictionis Romagnosi (§. 72); in ratione Caesar De Oratiis *Sul metodo universale di filosofare*; in idea entis Ochinus, Andreas Sciolla, Rosmini (§. 77); in sensu intimo Galluppi (§. 80); in quodam increato lumine a Deo manante Vincentius Gioberti (§. 78); in consensu omnium gentium Quetelet, aliique.

229. Ut certa ab incertis secernantur, notamus, criterium hocce universale distinctum esse a mente, seu ab activitate ipsius, quae potius est *principium reale, et efficiens* nostrarum cognitionum, praesertim vero, quia aliud criterium requireretur ad judicandum de mentis activitate. Hinc neque hoc criterium potest esse mentis operatio quaecumque, veluti perceptio, judicium, quia de his idem dici potest ac de mentis activitate. Deinde animadvertimus, veritatem logicam esse *objectivam*, nempe consistere in convenientia subjecti cum praedicato a mente percepta (§. 187.), licet et *subjectiva* esse possit, sed tunc reponitur in convenientia idearum, et judiciorum cum objectis a mente efformatis (§. 190.). Criterium itaque, quod quaerimus, debet adeo illustrare nostrum intellectum fulgore huic convenienti, et spirituali, ut intellectus illam clare intueatur convenientiam subjecti cum attributo, uti videt corpora circumstantia oculus corporis solis splendore perculsus.

230. Hunc fulgorem in *evidentia* situm esse, nobis videtur, quae est veluti mentis lumen indicans ea, quae sunt, uti sunt; qua remota, noctis umbra obvolvimur; qua adstante, veritatem prospicimus. Sed antequam rem conficiamus, quid proprie evidentia sit, definiamus. Certum est, mentem humanam esse tali natura donatam, ut, vix ab ipsa cognita relatione attributi cum subjecto, sive unico intuitu, sive tertiae ideae subsidio, illico ad assensum praestandum rapiatur. Assensus iste itaque oritur quidem ex ipsa mentis naturali dispositione, sed simul supponit cognitam relationem, hancque relationem ipsi menti tanto fulgore occurrentem, ut umbra nulla sit, oppositumque repugnet. Jam vero *illa quaecumque nostrae mentis dispositio, qua, positis aliquibus requisitis, impellitur ad sic, et non aliter judicandum de aliqua re, dicitur evidentia*. Quare evidentia non est ipsa claritas relationis cognitae, abstracte considerata, quae claritas minime est in rebus, sed est *terminus*, ad quem mens ultimo pertingit. Neque est ipsemet intuitus mentis, qui praecedit eviden-

tiam, et ponitur ad evidentiam amplectendam, ut ita loquar. Neque est clara rei cognitio, quae est effectus evidentiae, et ab ista semper sequitur. Neque est certitudo, sed medium, sine quo certitudo non respicitur. Quare in conceptu *evidentiae* ingreditur elementum *ontologicum*, seu objectivum, quod consistit in veritate, et realitate objecti, quae evidenter apparent, vimque habent extorquendi mentis consensum: et elementum *psychologicum*, seu subjectivum, quod situm est in quadam animi dispositione, et determinatione ad verum.

231. *Evidentia* est *intrinseca*, si requisita posita, ad sic, et non aliter judicandum impellentia, ab ipsa rei natura depromantur; hac evidentia donatur propositio: *totum est qualibet sua parte majus*; est *extrinseca*, si mens ad sic judicandum a motivis extrinsecis cogatur: uti in hac propositione: *Romulus condidit Romam*. Est *metaphysica*, si innitatur relatione percepta inter subjectum, et attributum, cujus oppositum repugnat; *physica*, si requisita illa naturae legibus physicis nitantur; *moralis*, si illa requisita fulciantur moralitatis, et humanae prudentiae legibus. Est *immediata*, si unico mentis intuitu; *mediata*, si tertiae ideae subsidio adhibito mens ad judicium impellatur. Ex quibus patet, eamdem evidentiam esse posse simul *intrinsecam*, *immediatam*, *metaphysicam*, uti in hac propositione: *bina binis addita faciunt quatuor*: *extrinsecam*, *immediatam*, *physicam*, uti *Neapolis est urbs Italiae*, si ipsam vidi; *intrinsecam*, *mediatam*, et *metaphysicam*; *extrinsecam*, *mediatam*, *moralem* (1).

232. *Criterium* generale pro omnibus veritatibus 1. ad omnes reapse extendi debet, alioquin esset fons peculiaris; 2. nulla debet egere demonstratione, alias aliud ante ipsum admittendum foret; 3. intellectum debet cogere ad sic judicandum, aliter neque certae veritatis foret criterium, neque pro veritatibus necessariis inserviret, neque fulgore suo mentem repleret; 4. cum veritate semper connexum esse debet, alioquin non posset haberi pro veritatis criterio.

(1) Regulae observandae circa hujusmodi evidentias legantur in Del Giudice (*Log. de arte Crit. c.* 1.). Evidentiam aliqui dividunt etiam in *objectivam, et subjectivam,* atque *objectivam* reponunt in illa luce, et capacitate apparendi nostro intellectui, quibus gaudet motivum nostrum assensum attrahens; *subjectivam* vero in ipso mentis lumine perceptionem objecti perfundente. Neque falluntur, qui evidentiam *moralem* omnino expungunt, quia haec evidentia in iis habet locum, quae neque a nostro intellectu, neque a nostris sensibus, sed ab aliena haurimus testatione; porro *evidentia* non est, ubi *fides* obtinet, cum nulla claritas nostrae menti ex fide affulgeat.

233. Hisce praestitutis, asserimus, *ultimum, et generale criterium omnis veritatis esse evidentiam.* Quandoquidem ipsa donatur quatuor illis characteribus, quibus diximus, ornandum esse veritatis criterium (§. 232.). Nam 1. ad omnes extenditur veritates, cum nulli veritati homo assensum praestet, nisi evidentia illa fulgeat, et cuique veritati illico exhibeat assensum, dummodo evidentiae fulgore splendescere reperiat. Certe ad evidentiam reducuntur omnes veritatis fontes, qui veritatis fontes haud essent, si evidentia non micarent. Quare enim tu ex. gr. credis, *Romulum condidisse Romam?* Quia testimonium, narrans *Romulum condidisse Romam*, est omni exceptione majus. Sed quare? Quia illud testimonium sua auctoritate consensum extorquet. Sed quare? Quia evidens est. 2. Evidentia nulla eget demonstratione, nam ipsa est adeo cum anima *identificata*, ut, fulgente ipsa, anima quiescat, ac etiam invita assensum praestet. Nonne tu dementem putares, qui diceret evidentiae ideam non esse *per se* claram? 3. Evidentia reapse cogit intellectum ad sic, et non aliter judicandum, cum, vix ipsa affulgente menti humanae, ne minimum de veritate intellectus dubitet, imo oppositum impossibile reputans, statim ad assensum prorumpat. 4. Evidentia demum semper cum veritate copulatur, uti quisque sibi testis est; nam, si aliquid est evidens, requisita ad veritatem habet, ideoque falsum esse nequit.

234. Sed opponi potest 1. Si evidentia foret universale veritatis criterium, omnia, quae certa et vera sunt, essent quoque evidentia; sed hoc falsum esse eruitur ex eo, quod mysteria nostrae Religionis haud sint evidentia, licet certa et vera sint. 2. Nullus est nexus inter evidentiam, acceptam veluti nostri intellectus dispositionem (§. 230.), et objectivam veritatem, quia illa tantum mentis est, haec vero est in objectis. 3. Multi defendunt errores, et dicunt, se ad judicandum impelli ab evidentia; et nos ipsi multa defendimus uti evidentia, quae postea falsa inveniuntur. 4. Si evidentia nos non decipiat, hoc nos eruimus ex usu facultatum nostrae mentis, a principio contradictionis, a veracitate Dei. Ergo non est ultimum criterium.

235. Sed ad 1. dicimus, omnia, quae sunt evidentia, esse simul certa, et vera. Evidentia enim non in objecti claritate reposita est (§. 230.), sed in dispositione mentis a requisitis infallibiliter impulsae ad sic judicandum. Quare si aliquam rem talia requisita comitantur, ut animum moveant quadam morali coactione, animus ipse illico tutus quiescit. Ceterum

animus aut novit rem ita esse, et quare ita sit, uti evenit in iis, quae *intrinseca*, et *metaphysica* evidentia donantur; aut novit tantum rem ita esse, uti accidit in iis, quae sunt *extrinsece* evidentia. In utroque casu adsunt requisita, quae ab animo omnem errandi metum removent. Quare omnia, quae evidentia donantur, sunt etiam *certa*. Sic requisita, seu motiva credibilitatis sufficiunt, ut evidentia dicantur mysteria nostrae fidei, non quidem *in se*, sed quatenus, inspectis illis motivis, animus rapitur ad illa credenda, ageretque imprudenter, nisi ipsis fidem adhiberet. Sed *vera* quoque sunt, quae evidentia fulgent; nam veritas quidem est in objecto, sed ideo veritatem dicimus, quatenus ipsi assentitur mens (§. 187.), quae certe motivis, seu indiciis impellitur, quae motiva, mentem inducentia ad sic judicandum, evidentiam constituunt. Igitur evidentia est motivum ultimum, cur certa, et vera credamus, quae illa fulgent evidentia. Verum non omnia, quae sunt certa, et vera, sunt etiam evidentia, quae est propositio conversa primae demonstratae, quae sic est: *omnia, quae sunt evidentia, sunt simul certa, et vera.* Multa siquidem sunt vera, imo et certa a nobis habentur, quin tamen evidenter appareant. Hujusmodi sunt, quae nostri intellectus aciem superant, aut, si non superent, fide divina sunt tenenda. In ipsis enim tuti, certique sumus ob Dei revelantis veracitatem, illisque firmissime adhaeremus, quin *evidens* eorum apparentia nos adigat. Imo aliqua asserta veluti *vera*, et *certa* tenere possumus ex humana auctoritate, quin tamen evidentia sint; *evidentia* enim non habet locum, ubi *fides* est (§. 231.) (1).

Ad 2. respondemus, nullum quidem esse nexum inter affectionem animi, et objecti veritatem; sed requisita necessaria ad veritatem consequendam, quae veritatem semper comitantur, consensum extorquent, nexumque proinde constituunt inter veritatem objectivam, et evidentiam, ex qua illa infertur. Quare, posita evidentia, ponitur certitudo, ponitur veritas. Adde, quod evidentia *objectiva* quoque esse possit (§. 231.)

Ad 3. dicimus, multos quidem inveniri, qui errores defendentes dicunt, se impelli ad sic judicandum ab evidentia;

(1) Itaque *scire*, et *credere* in hoc differunt, quod ea dicamur *scire*, quae exhibent intimus sensus, intellectus, ratio, sensus externi; *credere* vero, quae alterius auctoritas persuadet. Quare qui scit, ipse videt; qui credit, idearum connexionem non videt. Vide Genuensem (*Log. Crit. l.* 3. *c.* 2.). Fides *evidens* esse potest quoad credibilitatis motiva, sed erit obscura quoad objecta, quae ipsae docet.

sed experiunturne, quaeso, in mente quamdam coactionem ad illas defendendas? Si bona fide loqui vellent, certe evidentia se ductos non dicerent. Ceterum hoc ad summum fieri posset in veritatibus deductis, non vero in immediate evidentibus. Ast si etiam in illis veritatibus conditiones pro qualibet specie veritatis expenderentur, si attentio, uti par est, adhiberetur, si rationes omnes, amota quavis animi praeventione, cribrarentur, evidentia fulgeret, erroresque non defenderentur, aut saltem judicium suspenderetur, evidentia non affulgente menti. Idem dicatur de nobis, qui aliquando defendimus veluti evidentia, quae postea falsa reperiuntur. Hoc est, quia non, uti aequum erat, nos ipsi gessimus prudenter, adhibendo nempe fontes veritatis, aut judicium non suspendendo.

Ad 4. respondemus usum facultatum mentis nostrae esse causam efficientem, ob quam ponitur evidentia, non vero rationem certitudinis nostri judicii (§. 230.). Principium contradictionis ideo verum dicitur, quia evidentia fulget. Deus est quidem prima veritas in se, et ratione originis, non vero prima ratio nostrae certitudinis. Imo ideo dicimus, Deum nos non decipere, quia evidentia cognoscimus, Deum non esse mendacem.

ARTICULUS SEXTUS

DE USU PROBABILITATIS.

236. Hucusque loquuti sumus de veritatis fontibus; ast quaedam sunt, circa quae *indiciis insufficientibus* contenti esse debemus (§. 191.). Haec autem indicia insufficientia sunt aut quia fere aequiparantur indiciis certitudinis, non omnino tamen auferentia errandi metum; aut quia possunt aeque fallere, et non fallere: aut quia potius fallere possunt, quam non. In primo casu illa constituunt *probabilitatem*, quae *intrinseca* est, si exurgat ab indiciis depromptis ab ipsa natura rei, de qua agitur; *extrinseca* vero, si descendat ab hominum auctoritate (1): in secundo casu constituunt *dubium*,

(1) *Probabile* vi nominis idem est ac dignum, quod probetur, uti *amabile* dignum, quod ametur. Aliqui *probabilitatem* referunt ad momenta, eorumque pondus, *opinionem* vero ad statum mentis, quae haesitans de opposito assensum tamen objecto praebet. Hinc *probabilitas* est pondus rationum, quibus *opinamur*.

quod *positivum* est, si ex utraque parte indicia sint aequalia; si vero nulla ex utraque parte sint indicia, *negativum* dicitur, quod melius vocatur *ignorantia*, quae est idearum carentia; in tertio casu constituunt *improbabilitatem*. Si *certitudo* ex. gr. in gradu decimo resideat; *probabilitas* in sexto ad nonum; *dubium* in quinto; *improbabilitas* in primo ad quartum (1). Indicia praesertim definienda sunt a fontibus, de quibus loquuti sumus in toto hoc capite, et quibus quaevis nititur disciplina; ex. gr. indicia pro propositione physica ab ipsis scientiis physicis sunt colligenda.

237. Ex quibus eruitur, 1. aliquid esse posse magis, minusve probabile, vel improbabile pro indiciorum pondere, aut numero; 2. posse aliquid probabile esse falsum, et improbabile, et dubium esse verum; quia indicia pro improbabili, vel dubio usque ad certitudinem augeri possunt, deficere vero usque ad ignorantiam pro probabili; 3. quare non ideo aliquid rejiciendum esse, quia est improbabile, vel dubium, aut admittendum, quia probabile; 4. eo probabiliorem esse aestimandam aliquam sententiam, quo majorem convenientiam habet cum veritatibus certis, aut cum fontibus cujusque disciplinae; 5. unum indicium validum posse destruere plurima levia, et opposita: uti, si invenias famulum Petri sanguine conspersum, et manu ensem districtum tenentem, tu illico concludes, famulum interfecisse Petrum, licet scias, Titium inventum per viam fugientem, et pavore affectum esse Petro inimicum, cum Petro illa die rixatum fuisse, ac mortem Petro fuisse minatum; 6. nullius ponderis esse extrinsecam probabilitatem si desit intrinseca, quia ad veritatem nil prodest hominum auctoritas, si nulla sint indicia ex cujusque disciplinae fontibus deprompta: ita ex. gr. tu numquam mille hominibus credes, si aliquid tibi narrent, quia certo scis, id a nulla via colligere potuisse (§. 221.); 7. probabilitatem, et improbabilitatem definiri posse a recessu ab ignorantia, et ab accessu ad veritatem, quia eo probabilior est sententia, quo magis ab ignorantia recedit, vel ad veritatem accedit (2);

(1) Hinc deduces, quinque esse animi nostri status relate ad verum, nempe certitudinis, probabilitatis, dubii, improbabilitatis, ignorantiae.

(2) Animadvertit tamen Genuensis (*Log. Crit. l.* 3. *c.* 4.), probabilitatem non posse ex accessu ad veritatem definiri, quia in iis, in quibus probabilitatem sequimur, veritatem non habemus, et certitudo omnino ignoratur, quonam gradu ab ea distet probabilitas. Hinc tenet, *probabile* dici, quod verisimilibus argumentis desumptis ex fontibus, et principiis cuique scientiae propriis potest comprobari, quae tamen non omne auferunt ab anima scrupulum.

8. probabilitatem, dubium, improbabilitatem esse posse in judicio, in ratiocinio, in demonstratione, prout in istis indicia convenientiae attributi cum subjecto sunt majora, vel minora; 9. conclusionem, quae eruitur a syllogismo, vel demonstratione, esse debere probabilem, dubiam, improbabilem, si talis fuit aliqua antecedens propositio, quia conclusio sequitur partem debiliorem (§. 157).

238. Usus probabilitatis esse potest in Traditionibus, in Hypothesibus, in Analogia, in arte Hermeneutica, in Critica. Loquimur primum de traditionibus. Saepe non scriptum est aliquod factum, vel dictum, sed de uno ad alium testem ore transmissum: tunc habetur *traditio*, quae proinde est oralis testium series numquam interrupta ab epocha eventus ad haec usque tempora. Quaedam consideranda sunt in *origine traditionis*, quaedam autem in *serie testium sibi invicem succedentium*. In origine videndum est, utrum factum traditum fuerit publicum, necne; cujusnam aetatis sit; quaenam fuerit indoles populi, penes quem notum fuit; quanam scientia, et probitate primus scriptor illius traditionis fulserit. In serie testium est considerandum, utrum quaelibet linea traditionalis factum narraverit; utrum narraverit eodem modo, saltem quoad substantiam; utrum posterioris aevi scriptores scientiam, et probitatem calluerint; utrum isti factum ipsum, et circumstantias scrutati, et rimati sint. Siquidem, si factum fuit publicum; recentis aetatis; primus scriptor scientia, et probitate micabat; ad fabulas haud pronus erat populus, penes quem contigit; quaelibet linea traditionalis ab ultima regrediendo ad facti originem plures testes habet, qui semper eodem modo factum ab ipsis saepe examini subjectum narrarunt; pro *certo* factum illud est tenendum, vel probabili, vel dubio, vel improbabili pro majori, minorive harum circumstantiarum numero, et qualitate. Si enim omnes istae, et aliae hujusmodi simul connectantur, certitudo paritur, uti de factis historicis diximus (§. 222). Ex quo patet, falsos fuisse Lockium, D'Alembert, La Place, qui putarunt tantum minui traditionem, quantum ab origine recedit.

239. Ad hypotheses descendamus. (§. 136.). Cum philosophi alicujus phaenomeni causam ignorant, aliquam fingunt, quam probabilem credunt. Haec fictio *hypothesis* dicitur. Ut probabilior statuatur hypothesis, necesse est, 1. ut phaenomeni existentia prius statuatur; 2. ut omnes notentur circumstantiae, quae ipsum comitantur; 3. ut omnes causae possibiles examinentur; 4. ut illa, veluti probabilior ad-

mittatur causa, quae magis phaenomenon explicat. Ceterum quaecumque sit hypothesis, numquam probabilitatis gradum praetergreditur, et tunc solum ad certitudinem accedit, fitque *thesis*, cum observatione, et experimentis confirmatur. Caveat proinde philosophus ab hypothesibus, quae saepe ruunt, veluti ignis fatuus, qui cito evanescit. Plurimi, qui de omnibus rationem reddere exoptant, ad hypotheses recurrunt, Politici, Moralistae, Antiquarii, Physici praesertim, et Astronomi, imo et Metaphysici, qui hypotheses circa societatem animi cum corpore multas posuere, ne de aliis loquar.

240. Etiam in analogia (§. 170) probabilitatis usus esse potest. Cum homo, naturam regi simplicioribus, ac constantibus legibus, conspiciat, saepe deducit ex similibus causis effectus similes, et e converso. Hoc est argumentari ex *analogia*, quae proinde tota in ipsa rerum similitudine sistit. Ut tamen argumentum ab ipsa deductum saltem probabile sit, necesse est; 1. ut *certa*, et non *apparentia* siut similitudinum *signa*; 2. ut multa sint haec signa, ne decipiamur specie recti; 3. ut nulli observationi, nulli experimento rite instituto, nulli authentico monumento analogia adversetur, imo ab istis confirmetur; alioquin falsa amplectimur, vera relinquimus. Ex quibus patet; 1. eo majorem vim habere argumentum analogicum, quo major est similitudo; 2. difficile admodum esse hoc argumentum, quia omnes circumstantias similes noscere non semper, imo raro datum est; 3. ac proinde facile illudi posse, qui illo uti vellet, uti illusus dicitur, qui incolas terrae hominibus similes in luna reponit. Ceterum in vita sociali analogia vivimus, et vivere debemus, ne infelices essemus. Nonne analogia utor, cum cibum comedam, quem ex similitudine cibi alterius diei innoxium puto? Ita de aliis sexcentis dicas velim.

241. De usu probabilitatis in arte hermeneutica loqui necesse est. Scriptores, qui nobis aliquid memoriae tradiderunt non semper loquuti perspicue sunt, saepe clarius noluerunt, saepius non potuerunt loqui. Ars illa, qua traduntur regulae ad obscura loca alicujus auctoris intelligenda, *hermeneutica* nuncupatur. Tres regulae, quae alias complectuntur, prae oculis hac in re habendae sunt, ut pro certo, aut probabiliter auctoris sensum assequamur. Prima regula est, ut *ad usum, quem auctor in scribendo servavit, attendatur*. Quod fit, si materia, de qua agit auctor, legentem non fugiat; si textus legatur, et non versio, quae non semper auctoris mentem reddit; si proinde legens linguam cal-

leat auctoris; si codice utatur tutiori; si ipse commentaria pervolutet, ac perfectiora propriae illius disciplinae dictionaria consulat; si comparet loca contextus; si vocabula referat ad usum illius loci, et aetatis, quibus auctor vixit; si vocabula, ubi nil impedit, in sensu obvio, et naturali accipiat. Secunda regula est, ut *intentio auctoris intelligatur*, si ex usu primae regulae nil collectum sit. Intentio auctoris eruitur ex usibus, moribus, gestis aetatis, et gentis auctoris; ex motivo scribendi, nempe si jussu, aut sponte scripsit; ex majori, vel minori libertate scribendi; ex eo, quod per incideus aut ex professo de illa re agat; ex definitionibus datis; ex exemplis allatis; ex systemate sectae, quam tenuit; ex indole propria auctoris; ex variis circumstantiis loci, temporis, in quibus, aut pro quibus scripsit auctor; ex amicis, et discipulis, et coaevis auctoris . . . Tertia regula est, ut, deficientibus primis regulis, *materia ipsa attente inspiciatur*, *et perpendatur*. Hoc fit, si quaeramus in ipsa, quid auctor dicere debuerit, quidve potuerit; si antecedentia cum consequentibus locis, et loca parallela inter se comparemus; si rem, de qua agit, undequaque examinemus. Harum regularum auxilio aut certa, aut saltem probabilis auctoris sententia facile potest intelligi.

242. Demum de arte Critica disseramus, in qua plurimum est probabilitatis. Cum libri inveniantur multi, qui minime ab iis scripti sunt, quorum nomina praeseferuut, aut diversa, vel plura, vel pauciora continent, quam veri scripserunt auctores, aliquae requiruntur regulae, quibus veri auctores a suppositis, genuina scripta a spuriis, secernuntur, et quas suppeditat *ars Critica*. Liber est *genuinus*, seu *authenticus*, si sit auctoris, cui tribuitur; *suppositus*, si ab aliis, quam ab illo, cujus nomen praesefert, conscriptus sit. Liber est *integer*, si contineat ea tautum, quae scripsit auctor; *corruptus* vero, si plura, aut pauciora, aut diversa contineat, quam quae auctor scripsit, et dicitur *auctus*, si plura, *mutilus*, si pauciora, *interpolatus*, si diversa contineat. Dicitur etiam *authenticus* liber, qui licet *anonymus* sit, revera scriptus fuit ea aetate, et penes eam gentem, in quibus auctor vixit, nihilque ipsi additum, demptumve est, nihilque in ipso mutatum. Causae *corruptionis*, et *suppositionis* sunt; 1. mala fides scribentis; 2. scribarum ignorantia aut malitia; 3. dictantis non satis distincta pronunciatio, aut festinatio, aut distractio, aut ignorantia, aut etiam malitia; 4. impostores, qui veterum scripta sunt imi-

tati, ut legentes fallerent; 5. criticorum ignorantia, aut superbia: 6. librariorum sacra auri fames: 7. Alexandriae Reges, qui undique libros quaerebant, quos recentes scribebant, veteribusque tribuebant, allecti spe magni praemii.

243. Iam vero *suppositus* est liber: 1. qui in veteribus cathalogis aetate auctoris posterioribus non recensetur, cum opportunitas non deesset, aut aliis tribuitur; 2. qui a veteribus suppositus est reputatus, ductis valida ratione; 3. qui continet, quae auctor non sentit, dummodo non constet, sententiam mutasse, uti patet de s. Augustino circa Manichaeorum principia; 4. qui continet quaestiones post auctoris aetatem motas; dummodo non probetur, has tantum in librum postea irrepsisse; 5. qui nugatoria, et contradictoria continet, et tamen auctori tribuitur, qui sapientia, et cultu floruit: si tamen non constet, in juvenili aetate illum scripsisse, uti *Iustinus* a Metastasio; 6. qui vocabula continet sequioris aetatis, urbes, oppida, gentes, homines, quorum nomina posteriori extitere tempore, aut stylum imitatur recentioris auctoris, dummodo non tradatur, illa tantum vocabula immissa in libro fuisse. *Corruptus* vero liber dicitur; 1. qui recenter editus plura, pauciora, vel diversa continet, quam quae in veteribus editionibus inveniuntur; 2. qui locum non habet ab alio auctore laudatum, aut excerptum; 3. qui vocabula, sententias, quaestiones continet, aut menti auctoris oppositas, aut recentioris aetatis. Quare admodum probabile est, librum esse *genuinum*, qui talis habitus est ab omnibus *proxime, et continuata serie sequentibus eum aetatibus*; *proxime* quidem a coaevis inspectus, emptus, asservatus, lectitatus; a *sequentibus aetatibus* asservatus, et numquam rejectus.

CAPUT TERTIUM

DE ERRORE, ET IGNORANTIA.

244. Ex praejactis fontibus, et ex statuto ultimo veritatis criterio in toto capite antecedenti uberrima cognitionum copia hauritur, ac multiplex veritas. Veritati opponitur *error*, et *ignorantia*, licet diverso modo. De hisce igitur, eorumque causis est hic sermo.

245. Veritas logica, de qua praecipue hucusque loquuti sumus, in convenientia reponitur idearum nostrarum cum objectis (§. 186). Error itaque habetur, cum animo videre

videtur convenientiam, vel discrepantiam subjecti cum attributo, sed contrarium est. *Error* proinde est assensus praestitus falso, negatus vero judicio; ideoque est falsum judicium deductum ex falsis principiis, vel non rite a veris. Sicut autem judicium intellectus, et voluntatis actum supponere videtur (§. 123); ita et error. Et quoniam veritas in *ideis* inesse potest (§. 108.), ita et *error*, qui in illis habet locum, cum ideae minime objectis suis respondent, sed interim respondere putantur (1). Putat Gioberti (*Errori Filos. del Rosmini lett.* 5.) *verum* esse semper *subjectivum*, *errorem vero objectivum*, quia veritas a Deo, error est ab homine, a quo oritur, quidquid vitii in scientifica cognitione reperitur.

246. In principiis, quae donantur immediata, et intrinseca evidentia, atque in iis, quae intimus testatur sensus, dummodo requisita adhibita sint, nullus esse potest error, quia evidentia sunt. Ast in ceteris veritatibus intellectus humanus saepe errori est obnoxius, uti quisque sibi testis locupletissimus esse potest, et historia humanarum cognitionum abunde docet. Causae proinde perquirendae sunt nostrorum errorum, quia, cognito morbo, facilis est curatio, maxime cum causa quoque morbi noscitur. Hae causae plures sunt, dictae aliquae *praejudicia*, quae sunt opiniones animo inhaerentes, quae ad falsa judicia animum impellunt (2).

247. Causa errorum prima est *in infantia*. Nam nutricibus, magistris, parentibus, poetis, sociis veluti conspirantibus, tenella aetas, quae sensibus tantum regitur, omnia pro veris recipit, *praejudiciisque* repletur, quae vix extirpari poterunt, nam *dediscit animus sero*, *quod didicit diu*, uti ait Seneca. *Quare* unusquisque, cum se obtulerit occasio, doctos viros consulat, libros probatissimos legat, expendat, quae Christianae Religioni, et rectae rationi quadrare non videntur (V. Tullius *qq. Tusc. l.* 3. *c.* 1.)

(1) Ignorantia, an error eat majus malum? Majus eerte error; quia magia error, quam ignorantia, favet paasionibus, magia error, quam ignorantia, contentionea, et bella progignit; facilius ignorantia, quam error expellitur.

(2) Praejudicia, seu praejudicatas opiniones in *Novo Organo* pulchre *idola* vocat Baeo, (§. 44.), quasi nempe sint vanae imagines, quae tamen veri speciem praeseferunt; scilicet *idola tribus*, praejudicia universae naturae humanae in se spectatae communia; idola *fori*, praejudicia, quae dimanant ex vulgi opinionibua, mentemque ex communi loquendi usu pervadunt; *idola specus*, quae euique aunt propria, et ex ingenii, et temperamenti diversitate oriuntur: idola *theatri*, quae ex falsia philosophorum doctrinis, quae veluti fictitios mundoa, scenicosque efficiunt, ortum habent.

248. Secunda causa est *populus*, *atque omnis undique ad vitia consentiens multitudo* (*Tullius qq. Tusc. c.* 1. *n.* 2.). A populo mille prodeunt fabellae, quia *ex veritate pauca*, *ex opinione multa aestimat*, uti ait idem Tullius. Cum populo itaque consuetudine agentes *inficimur opinionum pravitate*, *a naturaque desciscimus*, ut ipse docet Tullius; etenim *populus est instar fluminis*, *quod gravia mergit*, *levia transvehit*, uti acute notat Baco de Verulamio. *Quare* cum doctis societatem unusquisque, si velit ab hac causa se praecavere, inire debet, ac populum fugere, quantum satis est, quia *sanabimur*, *si modo separemur a coetu*, uti dicit Seneca.

249. Tertia causa est *receptae opinionis praejudicium*, quod, tamquam crudelis noverca, est simul causa jurgiorum, parensque systematum, quae sibi mutuo destruunt. Hoc praejudicio tenentur, qui adeo veterum philosophorum sententiis delectantur, ut falsum aestiment, quidquid novae inventionis sapit; et qui adeo novitatis studio abripiuntur, ut vetera cuncta fastidientes, omnia falsa putent, quae nobis vetusti sapientes tradiderunt. *Quare* utrumque scopulum quisque vitare curet, seligatque proinde, quae rationi, atque communi doctorum sensui magis congruere videntur.

250. Quarta errorum causa est *auctoritas*; nam saepe usuvenit, ut quis ideo aliquid verum dicat, quia magni nominis praeceptor verum tenuit. Ita Pythagoram ejus discipuli, ita Aristotelem scholastici veteres venerabantur (§. 26. 31), ut illi, quod Pythagorae, isti quod Aristoteli verum visum erat, pro vero acciperent. Ex hac philosophandi servitute fit, ut etiam avide legantur libri, a quibus recta ratio exulavit, quique ex luculenta corruptorum officina eruti sunt. Porro: *Quo semel est imbuta recens servabit odorem - Testa diu...*, uti ait Horatius. *Quare* nostra utamur ratione, atque cogitandi libertate in iis, quae recta ratione acquiri possunt, *nullius addicti jurare in verba magistri*.

251. Quinta errorum causa sunt *affectus*, nempe illi vehementiores motus ex viva boni, malive sensibilis repraesentatione in anima excitati. Affectus sunt *vitra colore perfusa*, *quibus rerum aliarum colores immutantur*, ait Plutarchus; sunt *nebulae*, *quibus serena mentis regio opacatur*, uti Plato dicebat; sunt motus in aqua excitati, in qua objecta prospecta confunduntur. Affectus siquidem mentem turbant, attentioni otium non relinquunt expendendi rationum momenta, ideoque in errores impellunt *popellum*, *aeque ac sapientes viros*, *qui plura judicant odio*, *aut amo-*

re, *aut cupiditate*, *aut iracundia*, *aut dolore*, *aut laetitia*, *aut spe*, *aut timore*, *aut alia perturbatione mentis*, uti animadvertit Tullius (l. 1. de Orat.). *Quare* animum ab affectibus turbulentis amovere; judicia suspendere, illis frementibus; judicia alias formata de eadem, aut re simili in memoriam revocare; praecipue amorem proprium cohibere tenemur. Iuvenes vero recordentur illius effati Caesaris apud Sallustium: *Si libido possidet*, *et dominatur*, *animus nihil valet*.

252. Sexta causa errorum est *festinatio*, ex qua fit, ut non clare, et distincte res percipiantur, judicia dein falsa efformentur. *Quare* sive studeas, sive judices, festinationem fugito. (Tull. de off. l. 1. c. 5.)

253. Septima causa errorum est *mentis propriae imbecillitas*, praesertim si copuletur cum immoderato discendi desiderio. Ex hoc fonte enim est, ut quaeramus, quae vincunt nostrae mentis virtutem, pluribus studeamus sine ordine, hinc ideas obscuras, et confusas conficiamus, sicque in errores labamur. *Quare* unusquisque debet ideas claras, ac distinctas rerum adipisci; se abstinere a perscrutandis, quae sunt supra rationem, aut ejus mentis virtutem vincunt; ordinata studia percurrere; praemittere necessaria utilibus, utilia voluptuosis; plura expendere, unumque seligere; omnia suo ingenio aptiora suscipere, docente Horatio:

Sumite materiam vestris, *qui scribitis*, *aequam*
Viribus, *et versate diu*, *quid ferre recusent*,
Quid valeant humeri . . . . .

254. Octava errorum causa est *sensuum externorum abusus*, quo fit, ut credamus eorum relationi etiam in iis, in quibus certe erramus. *Tactu* siquidem decipimur in corporum qualitatibus, et circa frigus et calorem, circa dolorem et voluptatem, quando haec mere ad corporis nostri partes referimus; *oculis*, quando colores qualitates reales supponimus; *olfactu*, *palato*, *auribus*, quando odores, sapores, sonos corporis qualitates credimus. *Quare* conditiones (§. 212.) adhibeantur, aliique veritatis fontes examinentur, ne sensibus, uti dicitur, decipiamur.

255. Nona causa errorum est ipsa *structura corporis*, qua fit, ut alii alio modo cogitent, prout diversa est aetas, sexus, valetudo, indoles. *Quare* indolem nostram non sequamur, atque in judicando non obliviscamur, quantam partem corporis structura habere possit.

256. *Proprii ingenii confidentia* est decima causa errorum. Ex ipsa enim fit, ut aliorum judicia indiscriminatim spernamus, nostraque, utut falsa, plurimi faciamus. *Quare* quisque alios viros in quavis disciplina celebres consulat, sibique uni non confidat; recordetur, neminem esse ad omnia aptum, atque magnos viros in magnos errores esse saepe prolapsos.

257. Undecima errorum causa sunt *falsae species*, quibus fit, ut objecta nobis alio modo, ac sunt, exhibeantur, uti videre est in artibus, in commercio, in tota vita sociali, ubi objecta opposita nobis monstrantur facie. *Quare* plures observationes, plures sensus, aliique periti adhibendi sunt, ne specie recti decipiamur.

258. Loquamur modo de *ignorantia* (§. 236. 244.), quae est idearum carentia, quaeque oritur 1. a mentis imbecillitate; 2. a laboris impatientia; 3. a memoria labili; 4. a mediorum inopia; 5. a studiorum confusione; 6. a cogitandi servitute, atque etiam ab iis causis, a quibus gignitur error. *Quapropter* ad expellendam ignorantiam oportet, ut 1. necessaria in primis perquiramus, dein superflua; 2. novas ideas continuo labore adipiscamur; 3. ideas nostras studio improbo claras, et distinctas reddamus; 4. *quaerendo semper*, *et patienter quaerendo*, uti de se dicebat Newton, attentionem adhibeamus; 5. studia seligamus ingenio, aetati, sexui, statui, aliisque circumstantiis aptiora; 6. pedetentim, et ordine procedamus; 7. memoriam continuo exerceamus; 7. eligamus praeceptores doctriores, et meliores; 9. libros nobis comparemus lectissimos; 10. servitutem philosophandi in iis, quae ductu rationis capi possunt, excutiamus: 11. affectus turbulentos coerceamus, aliaque adhibeamus media, de quibus, cum de errorum causis sermo fuit, verbum fecimus.

259. Verum Cartesius unum medium excogitavit, ut errores vitemus, atque egrediamur ab ignorantia, *dubium* nempe *universale* (§. 45). Juxta ipsum de omnibus in principio examinis est dubitandum, etiam de veritatibus mathematicis, etiam de Dei existentia; dein omnia sunt expendenda; demum id confitendum, quod verum, id respuendum, quod falsum invenitur. Ast perperam. Si omnis demonstratio, omneque ratiocinium a certo principio debet initium sumere, quodnam hoc erit in inquisitione Cartesiana? An illud *cogito*, *ergo sum*? Sed hoc aenigma est, aut ludus in re seria. Nam *cogito*, *ergo sum*, idem est ac, *sentio me esse cogitantem*, *ergo existo*; nempe *sentio me existere cogitantem*, *ergo*

existo; quod idem est ac *sentio me existere*, *ergo existo*; hoc est, *ego existo*, *ergo existo*. En principium Cartesii! Si tamen ad alios convincendos de sui existentia hoc usus sit dilemmate, et non ad sui convictionem, defendi potest cum cl. Mastrofini (*L'anima umana*, *e suoi stati t.* 1. *l.* 1. *c.* 1. *a.* 2.), quia dum aliis dicit *cogito*, dicit implicite se existere. Verum si mens suae cogitationis adjutorio suam existentiam probare studeret, procul dubio existentiam suam ex cogitationis existentia deduceret, et e contrario cogitationis existentiam ex existentia sua inferret, quod est circulus vitiosus, uti notat Gioberti contra Cartesium (*Introduz. allo stud. della filos. t.* 1. *not*. 59.). Neque rem conficit Cartesii schola altero principio, nempe *verissimum esse*, *quod in idea clara*, *et distincta percipitur*, quia ulterius quaeri potest, quonam principio probetur, esse verum, quod in idea clara et distincta percipitur? Recte Regius de dubitatione Cartesiana (*Cartes. ver. Spinoz. architec.*) ait: „ *Eja! an res nulla ante enormem istam negationem fuit certa? An non vividissimo sensu ante illam dubitationem de existentia sui fuit certus*, *et majorem per dubitationem acquisivit certitudinem? An non ante vixit sine Deo in mundo? An antea nulla fuit allata ratio*, *quae certo Dei existentiam demonstret?* Prudens, ac peculiare dubium non respuimus; verum aliqua sunt, quae nullimode in dubium possunt revocari, quin rationi nuncium remittamus. Igitur *sapientia hominis est*, *ut neque te omnia scire putes*, *quod Dei est*; *neque omnia nescire*, *quod est pecudis*: *est enim aliquod medium*, *quod sit hominis*, *scientia nimirum cum ignoratione conjuncta et temperata*, uti ait Lactantius (l. 3. Instit. c. 3.)

CAPUT QUARTUM

DE PRINCIPIIS DEMONSTRATIONIS

260. Quoniam alibi innuimus (§. 173.), demonstrationem esse fulciendam principiis, ut recte procedat; ideo coronidis loco de hisce loquemur. Quidnam sit, et quotuplex, et quomodo sit absolvenda demonstratio, vidimus supra (171 ad 173, et 178, et seq.). Ast quale est principium illud, a quo, ipso

indemonstrabili permanente, omnes deducantur veritates (1)? Philosophi plura recensent hujusmodi principia, nempe 1. *Non potest idem simul esse, et non esse*, quod vocant principium contradictionis; 2. *Quod est, est*, quod dicunt principium identitatis (2); 3. *Nullus datur effectus sine causa*, quod autumant principium causalitatis; 4. *Nil fit sine ratione sufficienti*, quod appellant principium rationis sufficientis; 5. *Sine substantia modus esse nequit*, quod nuncupant principium substantiae; 6. *Quodlibet est, vel non est*, quod nominant principium medii exclusivi. De principiis *possibilitatis*, et *essentiae* etiam loquuntur philosophi; sed haec non pertinent ad rem praesentem.

261. Veritates aliae sunt *necessariae*, si numquam fieri possit, ut attributum subjecto non conveniat; aliae *contingentes*, si subjectum sine illo attributo concipi possit. (§. 190). Omnia principia *a priori* sunt veritates necessariae, contingentes vero principia *a posteriori* (§. 197. 198). Aliud proinde est exquirendum principium pro demonstrandis veritatibus necessariis, aliud vero pro contingentibus.

ARTICULUS PRIMUS

DE VERITATUM NECESSARIARUM PRIMO PRINCIPIO.

262. Quodcumque principium demonstrationis tribus praecipue characteribus exornetur necesse est. Debet nempe 1. esse ita *per se clarum*, ut uno terminorum intuitu perspicue intelligatur: alias non esset primum, quia alio indi-

(1) Cave credas, nos asserere tantum *primum principium*, quod perquirimus, esse notum, aliaque omnia principia esse per ipsum demonstranda; judicia enim analytica (§. 124.) immediata profecto non indigent demonstratione. Hoc itaque tantum dicimus, aliquod nempe adesse judicium, quod ceteris omnibus veluti implicitum sit, et legem generalem, qua mens in judicando ad assensum rapiatur, constituat.

(2) Dicunt principium *identitatis*, quia attributum, quod exaequat totum, vel ex parte subjectum, videtur *idem* cum subjecto; porro idem sonat *est* subjectum ac attributum *quod est*. Aliqui vocant principium *analysis*, quia ope analysis invenitur in subjecto reperiri praedicatum. Sic e. g. *triangulus est figura trium angulorum, et trium laterum*, in quo exemplo attributum est *idem* cum subjecto; aut *triangulus est figura plana*, in quo exemplo attributum ex parte est *idem* cum subjecto. Aliqui principium *contradictionis* per illud *identitatis* demonstrare nituntur, hocque proinde ponunt pro supremo scientiarum principio, dicentes: si *quod est, est*; ergo *quod est, nequit non esse*, alioquin falsum foret *esse, quod est*.

geret, quo clarum fieret; 2. esse ita *indemonstrabile*, ut potius demonstratione obscurius fiat: alias non esset prima veritas in serie veritatum connexarum in demonstratione; 3. ita *universale*, ut ad omnes veritates extendatur: alioquin plura forent principia veritatum ejusdem classis. Verum quale ex dictis principiis (§. 260.) hisce donatur characteribus? Multi multa dicunt: sed nos, contra Lockium (*Intell. hum. l. 4. c. 4.*), aliosque, principium contradictionis pro necessariis veritatibus profitemur. Quare

263. *Principium contradictionis est primum in veritatibus necessariis demonstrandis principium.* Nam 1. est *per se clarum*, quia intellectus illud primo intuitu attingit, neque quis tantisper illud negare, vel de eo dubitare potest, quin simul confiteatur; nam si neget, vel de eo dubitet, falsum esse putat; putat vero falsum, quia credit, non posse simul esse verum; sed a principio contradictionis fit, ut falsum esse non possit simul verum; 2. est *indemonstrabile*, quia si demonstrari posset aliqua propositione, quae prior foret contradictionis principio; undenam constaret, illam propositionem non esse falsam, nisi diceretur, esse veram, quia nequit esse falsa et vera simul, nempe nisi principium contradictionis admitteretur? 3. Est *universale*, nam nulla est veritas necessaria, cujus attributum essentialiter non conveniat subjecto. Si quis hoc neget, in principium contradictionis recidit. Finge enim, te negare, *circulum esse rotundum*; ergo est, et non est rotundus; est, quia ad essentiam circuli rotunditas pertinet; non est, quia hoc negasti. Sed hoc repugnat, quia *idem non potest simul esse, et non esse.*

264. Sed forsan dices, principium contradictionis supponere principium identitatis 1. tum quia ideo verum est, *idem non posse simul esse, et non esse*, quia, *quod est, est*; 2. tum quia principium contradictionis est propositio *modalis*, quae posterior est *pura*, uti est principium identitatis (§. 129.); 3. tum quia principium contradictionis continet primum membrum negativum, quod certe est posterius positivo expresso in principio identitatis.

265. Nam respondemus ideo verum esse, id *esse, quod est*, quia repugnat, aliquid *simul esse, et non esse*, uti patet. Propositio dein *modalis* est quidem posterior *pura*, quia oportet, ut prius aliquid sit, et postea sit illo modo, sed tunc consideratur veluti complexus subjecti, attributi, et copulae. Si vero propositionem perpendamus, quoad perspicuitatem, tunc *modalis* est prior *pura*, quia illa est ista clarior. Demum mem-

brum negativum in principio contradictionis potest esse affirmans; nam potest dici: *esse simul, et non esse est impossibile*, in quo primum membrum est affirmans, et subjectum copulative continet *esse simul, et non esse*.

266. Neque demum dicas, hoc principio non detegi veritates ignotas; quia hoc unum hic tuemur, illo principio directe, vel saltem indirecte omnes veritates demonstrari. Ceterum veritates evidentes potius hoc principio declarantur, quam demonstrantur; si enim demonstrarentur, obscuriores evaderent. Hinc licet - *bina binis addita conficiunt quatuor* - principio contradictionis demonstrari posset; tamen hac via potius veritas obnubilaretur (§. 160. not. 1.)

ARTICULUS SECUNDUS

DE VERITATUM CONTINGENTIUM PRIMO PRINCIPIO.

267. Quoniam in veritatibus contingentibus (§. 261.). non repugnat, subjectum esse, aut non esse illo attributo adornatum; ideo principium contradictionis ipsis inservire nequit. Aliud itaque principium pro hujusmodi veritatibus est statuendum, hocque post Leibnitium in *ratione sufficienti* constituunt philosophi, qui illud nunciant: *nil datur sine ratione sufficienti*. Dicitur vero principium *rationis sufficientis*, quia ejus ope intelligitur, quare aliquid sit, vel non sit: hoc modo potius, quam alio. Principium *determinans* quoque vocatur, quia ipsius vi objecta evadunt determinata. Ratio vero sufficiens est *intrinseca*, si sit in ipsa re; *extrinseca* autem, si extra rem inveniatur.

268. Aliqui confundunt hoc principium cum illo *causalitatis*, quia attributum praeter essentiam subjecto conveniens, est veluti effectus actionis subjecti, et attributum reapse *effectum* vocant, nos vero *rationatum*. (1). Hoc princi-

(1) Sed perperam haec miscentur. Nam causa supponit aliquid *fieri*, ratio vero sufficiens aliquid *esse*; porro Deus non *efficitur*, sed *est*. Causa minus, latius vero patet ratio sufficiens; ideoque haec perquiri potest circa veritates a nobis admissas, et dicitur principium *cognitionis*; circa possibilitatem alicujus rei, et vocatur principium *possibilitatis*; circa res quascumque factas, et dicitur principium *actualitatis*; in quo ultimo tantum sensu cum causa confundi potest. Demum aliquid rationi sufficienti tribui potest, quod causae negari debet; sic e. g. Deus est suae existentiae ratio sufficiens, non causa.

pium utilissimum est ad res naturales expendendas, eorumque phaenomena exquirenda; nam, posita ratione sufficienti, casus expellitur, veraeque causae perquiruntur, cur res ita se habeat, vel non. Illud exsufflare praecipue conatus est Beguelin (*Dissert. Academiae Barolin. oblat.*), quem impugnavit Gerdil (*Reflexion sur une memoire de M. Beguelin*).

269. *Sed principium rationis sufficientis est primum in demonstrandis veritatibus contingentibus.* Nam 1. est *per se clarum*, siquidem omnes, non exceptis pueris, cum aliquid novi vident, *rationem* perquirunt; quod demonstrat, omnibus hoc principium, saltem implicite, notum esse; 2. est *indemonstrabile* per veritates contingentes, quarum est principium, licet sit demonstrabile per contradictionis principium, si accipiatur in seipso, et ut veritas necessaria; 3. est *universale* relate ad veritates contingentes, quia cum in his attributum subjecto praeter essentiam conveniat, *ratio* sufficiens adesse debet, propter quam illa convenientiae relatio sit inter subjectum, et attributum. Si in omnibus veritatibus contingentibus haec ratio non foret, aliquis effectus esset sine causa, aut a nihilo, aut ipsum nihil effectus foret. Finge enim, ut Wolfii exemplo utar, te admovere lapidem in ardentibus prunis, atque hunc ex frigido fieri calidum. Si neges rationem sufficientem mutationis in lapide, admittere cogeris, aut effectum, nempe mutationem in lapide, esse sine causa, aut a nihilo originem habuisse, aut nihil in lapide accidisse, quae omnia absurda sunt.

270. Sed fortasse oppones, plura in rerum natura casu, plura in somniis fieri sine ratione sufficiente. Respondemus, quae *casu* dicuntur fieri, rationem sufficientem habere. Nam casu fiunt, quae fiunt praeter naturalem operantis determinationem; ita si dejectus a turri aliquis lapis hominem transeuntem interficiat; aut praeter agentis rationalis intentionem, uti si venator interficiat hominem, dum feram persequitur. Ast *ratio sufficiens* est in actione posita a causa, quae tamen non erat ad illum effectum determinata, aut illum non respiciebat; vel saltem in Deo, qui omnia movet, ac dirigit. Quare recte notat Tullius (*qq. academ. l.* 2): *propter obscuritatem, ignorantiamque causarum fortuna efficit multa improvisa, et inopinata*. Eorum vero, quae in somniis accidunt, ratio est in phantasia, quae objecta alias visa, audita, tacta, perspecta mentis acie, tanquam praesentia sibi exhibet, juxta illud:

Omnia, quae sensu volvuntur vota diurno,
Pectore sopito, reddit amica quies.

271. Neque denuo objicies, plura nos latere, quorum proinde rationem sufficientem ignoramus, uti ignoratur ratio, cur videamus bona, et probemus, interim deteriora sequamur, uti de se ajebat Medaea. Siquidem plura nos latere lubenter concedimus; ast quid inde? An ratio sufficiens neganda est in illis, quae tamen in omnibus notis contingentibus certe invenitur? Exemplum afferri potest alicujus rei, in qua latet ratio; ast nullum rei, in qua ratio non sit, dicebat Leibnitius Clarkio. *Video bona*, *proboque*, *deteriora sequor*, quatenus in objecto finito aliquid boni conspiciens, ipsius boni specie allicior, sicque deterius sequor. *Ratio* itaque est in illa boni specie. Deinde *volo*, *nolo*, *volo rursus*, *stat pro ratione voluntas*, nempe in libertatis facultate illa ratio est.

272. Neque demum urgebis dicendo, principium hoc in multos dejicere errores. Nam abusus ipsius ad errores ducit, non usus. Si Leibnitius ex. gr. non in solis objectis, sed etiam in homine, sed etiam in Deo rationem sufficientem quaesivisset; seu nisi solam objectivam, sed subjectivam quoque rationem foret confessus, non abusus ea fuisset, neque ex ea eruisset, Deum, hominemque facere semper objective meliora; libertatem non necasset; non mundum in se optimum dixisset; non indiscernibilia negasset.

273. En igitur, altae spei juvenes, Logicam nostram, in qua triplicem mentis operationem in ideis, in judiciis, in ratiociniis examinavimus, regulasque docuimus, quae terminos, propositiones, argumentationes, demonstrationem, methodumque respiciunt, ac fontes indicavimus multiplices, a quibus quaevis veritas eruenda est, probabilitatem diverso sub respectu sumus intuiti, principiaque statuimus, ad quae omnes referri possunt veritates. Hanc itaque nocturna versate manu, versate diurna, praeceptisque praxim connectite, ut dein ad altiora mente prompta accedatis, ac veritatem, quam inhiatis, tandem consequi possitis.

PHILOSOPHIAE RATIONALIS

PARS SECUNDA

DE ONTOLOGIA, SEU METAPHYSICA

274. Expositis Logicae regulis ad inveniendam, et aliis detegendam veritatem aptissimis, atque fontibus, a quibus mens humana veritatem ipsam, in qua indubiis suffulta principiis tandem secura quiescit, haurire potest; postulat rerum ordo, ut principia entium generalia, quae scientiarum omnium veluti fundamentum consideranda sunt, ex iisdem fontibus eruamus. Logicam itaque ordine sequitur hujusmodi de entibus tractatio, quae *Ontologia*, ex usu in scholis recepto, vocatur, et quam nos *Metaphysicam* appellamus, retento sensu huic ab Andronico Rhodio (§. 26.), aliisque Aristotelicis dato, utpote quae de iis agit, quae supra physica posita sunt. Utilissima est haec generalissima philosophiae pars, quoniam non solum vocabula definit, sed etiam, quantum fert methodi ratio, doctrinas evolvit, quae cum illis connectuntur, et quarum est usus penes omnes scientias. Quapropter non immerito cum Aristotele *sapientia*, et *philosophia prima* vocari potest, atque, ut aliis adrisit, *scientia principalis*, cum nostrarum cognitionum fundamenta statuat, quibus formulas de cognitionibus perfectissimas praebens, ipsarum cognitionum proinde veluti apex censenda est. Hinc profecto factum est, ut, licet transacto saeculo nonnulli hanc praestantissimam philosophiae partem, quam deformem ipsi reddidere, a scientiarum albo expungere optarent, aetate tamen nostra doctissimi viri ad abstrusissimas redierint inquisitiones, quas metaphysicam gestientes nuncuparunt.

275. Interea hanc nostram Ontologiam, ut ordine procedamus, in sex capita partimur, acturi; 1. De Ente in genere; 2. De generalibus entium proprietatibus; 3. De variis entium speciebus; 4. De multiplici entium relatione; 5. De entium viribus; 6. De entium ortu, et interitu.

CAPUT PRIMUM

DE ENTE IN GENERE

276. Quidquid existit, vel existere non repugnat, *ens* vocatur. Hinc ens est *reale*, si actu existat: *ideale*, vel *logicum*, quod nullam quidem involvit in suis essentialibus repugnantiam, sed, dum a mente concipitur, nondum existentiam recipit. Quare ens *logicum* est quiddam reale in mente (§. 105.), quia non est merum nihil, neque a mente ipsa dependet. Quare *entis* nomine vocatur quaecumque res, quae existentiam habet realem vel idealem, ac proinde nomen *entis* potest cuique substantiae, et modo, et ideae tribui. *Ens* tamen *reale* existit independenter a nostrae mentis cogitatione, a qua separari potest; *ideale* vero utrum aeque ac *reale* existat, separarique possit a nostrae mentis conceptu, quaestio est postea resolvenda.

277. Enti apponitur *non ens*, seu *nihil*, quod *negativum* est, si realitatis defectum exprimat in subjecto incapaci, uti caecitas in lapide; et *privativum*, quod realitatis defectum innuit in subjecto capaci, uti caecitas in homine. Quare *nihil privativum* est idem ac ens *logicum* (§. 276.); ideoque includit semper possibilitatem recipiendi existentiam, et proprietates, quibus caret; non sic autem *nihil negativum*, de quo uno dicta sunt axiomata: *nihili nullae sunt proprietates, aut actiones, aut passiones*; et *ex nihilo, tanquam causa, aut subjecto, nihil fit*. In ente possibilitas, essentia, et existentia in primis consideranda sunt. Quare sit

ARTICULUS PRIMUS

DE ENTIS POSSIBILITATE

278. De ente disserentes, de ejus possibilitate in primis quaerunt philosophi. *Possibile* dicitur, quidquid in suis essentialibus nullam involvit pugnam, uti alter mundus (1); *impossibile* vero omne id, cujus essentiales proprietates sese

(1) Ad efformandam ideam possibilis, sufficit, ut *aliquid* cogitetur, hoc cum existentia comparetur, ac demum cum ipsa componatur. Illud *aliquid* est conceptus idealis, cum tantum cogitatur, est *possibile* vero, si nulla pugna inter ipsum, ejusque existentiam introspiciatur. Itaque finge ens *a* existens; aufer ab ipso existentiam, et habebis *possibile*.

mutuo destruunt, uti circulus quadratus. Quare *possibilitas* est non repugnantia essentialium in eodem subjecto, et dicitur *intrinseca*, si respiciatur ex parte ipsorum essentialium, quae simul stare possunt; *extrinseca* autem, si consideretur ex parte virium causae, quae *rei intrinsece possibili* existentiam dare potest. Sic alter mundus est *intrinsece* possibilis, quia nulla adest in suis essentialibus repugnantia; et *extrinsece possibilis*, quia Deus illum creare valet. *Impossibilitas* e converso generice sumpta est repugnantia ad existendum, quae aut est ex parte essentialium, quae simul stare nequeunt, et *intrinseca* dicitur; aut ex parte causae, quae non pollet vi donandi existentiam *intrinsece possibili*, et *extrinseca* vocatur. Circulus quadratus est *intrinsece impossibilis*; creatio alicujus rei est *extrinsece impossibilis* relate ad creaturas.

279. *Possibile extrinsecum* est semper *relativum*, quia semper dicit relationem ad vires causae, quae *intrinsece possibili* elargiatur existentiam; licet relate ad Deum *intrinsece possibile* in quocumque casu sit semper *extrinsece possibile*, uti mox patebit. *Impossibile extrinsecum* est etiam *relativum*, nempe relate ad vires datae causae; et hoc est *physicum*, si legibus naturae adversetur, uti est *physice* impossibile, corpus sibi relictum non tendere ad centrum; *morale* vero, si sit *absolute possibile*, sed ordinario non fit, uti est *moraliter* impossibile, aliquem non peccare labiis in multiloquio. Relate vero ad Deum illud solum est *impossibile extrinsecum*, quod tale est *ab intrinseco*, uti ex sequentibus clarum fiet.

280. Cartesius, Poiretus, Leibnitius, ablato discrimine inter intrinsecam, et extrinsecam possibilitatem, atque accepta omni possibilitate pro habitudine ad existendum, omnem rerum *possibilitatem* a Dei voluntate pendere, docuerunt. Alii e contra, retenta illa distinctione *possibilitatis*, *externam*, non vero *internam* a Dei nutu pendere existimarunt. Hanc sententiam et nos amplectimur, sed alio sensu, uti videbimus.

281. Quare *possibilitas rerum intrinseca a Dei voluntate non pendet*. Siquidem; 1. si *possibilitas intrinseca* a Dei voluntate penderet, ea tantum de ratione aliquid foret *possibile*, quia Deus *posset* illud efficere, in hypothesi enim adversariorum nihil est intrinsece *possibile* independenter a Dei voluntate. Ergo e contra ideo aliquid foret *impossibile*, quia Deus non *posset* illud efficere; nulla enim esset ratio,

cur non foret *possibile*. Igitur si *possibilitas intrinseca* a Dei voluntate penderet, Deus non *posset* aliquid efficere. Sed hoc Dei coarctat omnipotentiam. Ergo ... Neque dicas coarctari Dei potentiam etiam in nostra sententia; nam *intrinsece impossibile* nos dicimus existentiae *incapax*, cum ejus attributa simul stare nequeant; possibile vero, quod nullam involvit pugnam in suis essentialibus. Porro cum intrinsece impossibilis proprietates essentiales sese mutuo destruant, profecto tale impossibile est nihil negativum (§. 277.). Igitur, si Deus impossibile posset facere possibile, nihil faceret, quod certe repugnat, quia terminus divinae omnipotentiae, ne frustra ipsa operetur, debet esse quid positivum. Quapropter Dei omnipotentia haud coarctatur in nostra sententia, sed potius commendatur. 2. Si a Dei voluntate interna possibilitas penderet, ideo aliquid foret possibile, quia Deus faceret, et impossibile, quia Deus non faceret. Ergo, si Deus vellet, posset facere possibile, quod est intrinsece impossibile; ideoque posset materiae dare cogitationem; facere, ut bina binis addita non conficiant quatuor, atque sexcenta, quae nos dicimus absurda, tot sint veritates. Sed quisnam haec deglutire potest? 3. Nos ipsi saepe possibile aliquid asserentes, minime ad Dei omnipotentiam respicimus, sed tantum convenientiam attributorum illius perpendimus; quod argumentum est possibilitatem intrinsecam a Dei voluntate non pendere. (1).

282. Verum *possibilitas extrinseca* pendetne a Dei voluntate? *Potestne* Deus creare omnia *possibilia*? *Potestne* Deus existentia donare saltem omnes simul *primas substantias*? Ad primum quaesitum dicimus, *a Dei voluntate haud pendere extrinsecam rerum possibilitatem*. Nam *possibilitas extrinseca* habetur ex respectu virium causae, quae *intrinsece possibilibus* valet existentiam tribuere (§. 278); ideoque consistit in relatione necessaria, quae est inter possibilia intrinseca, et potentiam Dei effectricem (§. 281. nota. cor. 2.).

(1) Ex quibus patet 1. Dei voluntatem non se extendere ad *possibilia intrinseca*, quae proinde hujusmodi sunt, absque ullo Dei nutu; 2. *possibilia intrinseca* esse etiam *extrinseca possibilia* relate ad Deum, qui proinde illis valet donare existentiam; 3. *possibilia extrinseca* propterea esse etiam, et quidem semper *possibilia intrinseca*; 4. *impossibilia intrinseca* esse respectu cujuscumque causae *impossibilia extrinseca*; si enim forent respectu alicujus causae *possibilia*, non repugnarent, ideoque non essent *impossibilia* contra hypothesim; 5. *impossibilia extrinseca* respectu Dei esse etiam *impossibilia intrinseca*, alioquin non forent *impossibilia intrinseca*.

Sed necessarium, et essentiale est Deo *posse* operari super universa intrinsece possibilia. Ergo necessarium, et essentiale quoque est Deo, ut *possit* efficere res *possibiles*; ideoque a Dei voluntate non dependet *extrinseca* rerum *possibilitas*. Cave tamen credas, Deum non *liberrime* efficere, vel non efficere; possibilia enim omnia liberrimis Dei operationibus subduntur, et aliud est *posse* efficere, aliud reapse *efficere*. Ad alterum dicimus, *Deum non posse creare omnia possibilia simul cum omnibus modis, et adfectionibus intrinsecis, quarum capacia esse possunt, neque cum omnibus relationibus extrinsecis.* Siquidem Deus nequit creare *intrinsece impossibilia* (§. 281. nota cor. 4.); sed descripta possibilia sunt mera impossibilia. Nam aliqui modi per contradictionem excludunt alios, uti color niger excludit album; quaedam adfectiones excludunt alias, uti simplicitas excludit materialem compositionem; aliquae relationes excludunt alias, uti relatio causae in eodem ente erga aliud excludit relationem effectus in eodem erga idem. Ergo Deus . . . Ad tertium quaesitum dicimus, *Deum creare posse omnes simul substantias primas.* Si enim nequiret, repugnantia foret ex parte ipsarum substantiarum possibilium, aut ex parte Dei. Sed non primum. Nam possibilitas unius substantiae non praecedit, neque sequitur alterius possibilitatem, neque ullo alio modo pendet ab alia substantia. Igitur inter omnes possibiles substantias non datur ulla causalitatis, dependentiae, vel connexionis relatio; ideoque inter ipsas nulla pugna, nullaqua collisio fingi potest. Porro possibilia exhibentur Deo, atque ad ejus referuntur omnipotentiam ordine, quem habent in sua natura. Igitur nulla repugnantia est ex parte substantiarum primarum possibilium, ut ad existentiam adducantur. Deinde res positiva neque negare, neque excludere potest existentiam alterius rei positivae; sed substantia existens est quid positivum essentiae, et existentiae; ergo quaelibet substantia potest existere, quin alterius substantiae existentiae adversetur. Non alterum. Quandoquidem omnipotentia Dei, utpote infinita, certe extenditur, quantum rerum extenditur possibilitas, cum possibilitas extrinseca respectu Dei nequeat esse minor intrinseca. Ergo . . . Neque dicas, universali, et simultanea creatione exhauriri Dei omnipotentiam; haec enim infinita est, ideoque numquam potest exhauriri; deinde potest Deus producta in nihilum redigere, et centies, et millies in infinitum in aliis locis, et temporibus reproducere; insuper, si verum hoc esset, potentia Dei, dum modo creat, minueretur, et ar-

ctaretur, quod nemo sanus dixit. Vide de his profundissima opera (*Fragmenta Cosmol. c.* 1. §. 15. *et c.* 2. §. 8. 9. 10. *et Disquisit. nov. de Deo. Append. ad c.* 1. §. 3.), quorum auctor est Cl. Aloysius Parchetti ex Somascorum Familia.

283. Verum dependetne a divino saltem intellectu *intrinseca* rerum *possibilitas*? Nempe possibilia, quatenus sunt possibilia, dependentne a divino intellectu, adeo ut non forent possibilia, facta absurda hypothesi non existentiae Dei? Dmowski, Matthaeus Liberatore in *Metaphysica Generali* (§. 37. 38.), Aloysius Taparelli (*Saggio Teoret. di Drit. Nat. vol.* 1. *nota* 27. *ediz. Nap.* 1834.) affirmantem sententiam tenent, tuentur, atque a contrariis objectis vindicare nituntur. Sed negantem opinionem extra omnem dubitationem posuisse auctorem *Fragmentorum Cosmologiae*, remur. Quod ut intelligatur, aliqua praemittimus ad seriem idearum intelligendam. Itaque

1. *Possibilia non sunt merae ideae Dei.* Siquidem 1. si possibilia essent merae ideae Dei, ipsa carerent tum essentia, tum existentia, in *se* non essent *res*, essent *nihil.* Sed repugnat, *possibilia* esse absolute *nihil*, praetereaque *nihil.* 2. Si possibilia essent merae ideae Dei, profecto *realitas*, atque *esse illorum* essent exemplaria, atque archetypae repraesentationes: quod pugnat cum universali locutione humani generis, quod tenet, possibilia non repraesentare aliquid a se diversum. 3. Si possibilia forent merae ideae Dei, objecta harum idearum essent aut ipsae ideae, aut nihil; quod utrumque esse nequit. 4. Si possibilia essent merae ideae Dei, non autem *substantiae*, non *res*, non *essentia*, non *ens*, forent *nihil*; ideoque ea Deus non cognosceret, cum intellectus divini objectum nequeat esse *nihil*; porro Deo injuriosum est non noscere possibilia. 5. Ideae in Deo sunt quid *reale*; ideoque debent habere objecta respondentia, quae certe nequeunt esse nisi saltem possibilia; ac proinde possibilia non ideae sunt, sed *vera*, et *realia* idearum, quibus repraesentantur, objecta 6. Posita adversariorum hypothesi, cum Deus existentiam largitur possibilibus, aut suas creat ideas, in quas creationis actio terminat; aut in creatione pro termino habet *nihil absolutum*, et negativum. Sed primum esse nequit, quia in Deo esset simul *passivitas*, et *mutabilitas*, cum in ipso existentiam reciperent ideae; alterum absurdum est, quia actio creatrix versaretur super *nihil*, et simul modus contingens, nempe existentia, adhaereret *nihilo*, tamquam substantiae. 7. Certum est, in Deo divinas ideas, divinam cognitio-

nem, divinum intellectum esse unum, et idem, neque *actum* distingui in Deo a *potentia*. Si possibilia proinde forent merae ideae Dei, divinus intellectus a possibilibus non distingueretur; quod nemo sanus dicet. 8. In hypothesi contraria Deus, dum creat, dat suis ideis existentiam mutabilem, et sensibilem; sed hoc in casu esset Deus substantia Spinozae, quia esset Deus, quodcumque vides, et quodcumque movetur.

2. *Numerus possibilium non est infinitus*. Nam 1. numerus quicumque infinitus omnino repugnat, quia, data hypothesi, quod auferretur aliquid ab hoc numero, ac deinde denuo adderetur, ex duobus finitis infinitum oriretur, quod absurdum postea evolvemus. 2. Quodvis possibile a nulla causa quoad possibilitatem dependet (§. 281.); ergo nulla causa potest eorum numerum augere, vel minuere; ideoque numerus possibilium neque augeri, neque minui potest, sed est semper idem, ac proinde certus, fixus, determinatus, immutabilis: porro hujusmodi numerus est finitus. 3. In hypothesi numeri infiniti possibilium, ipsa non potuissent esse ab aeterno objecta divino intellectui praesentia, neque subjici decreto voluntatis divinae, neque subordinari potentiae divinae creatrici; quod enim est infinitum, numquam finem habet, numquam terminum pertingit, numquam ad extremum perveniet. Quare aut Deus ab aeterno comprehendit, suaeque voluntati, ac potentiae subjecta habet omnia possibilia, et finita numero dici debent; aut non, et tunc dicendum foret, Deum aliqua ante, aliqua postea comprehendere, aliqua adhuc non comprehendere, ideoque gradatim procedere ad augendum thesaurum suarum notionum; quod est blasphemum. 4. Certe possibilia sunt minora numero, quam possunt esse eorum modi, adfectiones, compositiones. Nonne infinitus majus, minusve daretur, si possibilium numerus foret infinitus?

3. *Possibilia sunt extra divinum intellectum, nihilque commune cum Deo habent*. Nam 1. in quavis substantia existenti tria possunt concipi, modi nempe, existentia, essentia; in substantia possibili tantum essentia. Quare substantia, vel ens aliquod, antequam recipiat existentiam, et modos, et postquam his expolietur, est tantum possibile; hoc autem est extra divinum intellectum; alioquin essentia esset in Deo sive non existens, sive existens; ideoque quod in Deo est, modo existeret, modo non; quod certe dici nequit. 2. *Possibilia*, in se inspecta, sunt finiti numeri, finitae enti-

tatis, finitaeque naturae; quod est finitum, in Deo esse nequit. 3. In adversariorum hypothesi ideo *possibilia* essent possibilia, quia forent in divino intellectu; ita, ut, hoc ablato, illa non amplius forent possibilia, deesset enim illud, in quo essent, et a quo penderent. Sed supposita rerum possibilitate dependente a divino intellectu, Deus ab aeterno habuisset potentiam statuendi, quid futurum erat possibile, quidque impossibile, cum Deus possit, quidquid intelligi potest. Ergo et ab aeterno ad libitum potuisset Deus efformare sibi ideas possibilium, easque commutare. Hoc vero absurdum est (§. 281). 4. Si possibilia non essent extra divinum intellectum, ipsa forent ipsae ideae Dei, quod absurdum exsufflavimus; aut numquam Deus sibi possibilium ideas efformasset, vel efformaret, quia deessent extra Deum objecta istarum idearum, quod denuo repugnat. Ergo . . . (1).

ARTICULUS SECUNDUS

DE ESSENTIA, ET EXISTENTIA.

284. Aliquid esse debet, propter quod ens constituitur in aliqua classe, atque ab aliis distinguitur. Hoc aliquid est *essentia*, quae facit, ut ens sit, quod est; ideoque constituit

(1) Ex quibus multa erui possunt, quae sequentibus lucem praebere possunt. Nam nequit dici 1. possibilia esse archetypos Dei ideas; 2. neque hoc, vel illud esse possibile in hypothesi, quod possibilia sint ideae Dei; 3. neque Deum dare existentiam possibilibus, si haec merae ideae Dei supponantur; 4. neque proinde possibilitatem internam pendere a divino intellectu; 5. neque possibilitatem esse perfectionem aliquam a Deo separatam, cum perfectio existentiam, possibilitas logicum statum supponat; 6. neque substantiam redire in nihilum sui, ablata existentia, cum redeat ad statum negatae existentiae, et non negatae possibilitatis; 7. neque substantias possibiles fuisse *alicubi*, quia *alicubi* supponit locum, ac proinde res existentes; 8. neque Deum educere e nihilo, et ad nihilum redigere, quia nihil nequit esse terminus creationis, et annihilationis; 9. neque existentiam esse id, quod ponitur extra *nihilum*, si possibile ponatur purum *nihilum*, quia *nihilum* extra *nihilum* poneretur; 10. neque existentiam esse complementum possibilitatis, quae jam completa est ante existentiam. Verum dici debet 1. substantiam quamcumque *esse*, antequam existat, quia *est* in sua possibilitate; 2. Deum *existere* ab aeterno et independenter etiam *existere*, possibilia autem *esse* quidem ab aeterno et independenter *esse*, quia aliud est *existere*, aliud *esse*; 3. possibilia pendere a Deo quoad existentiam, modos existendi varios, atque non existentiam, non vero quoad possibilitatem; 4. Deum dare, vel auferre existentiam possibilibus, quia actio Dei haec possibilia habet pro termino; 5. possibilia *esse* in seipsis, gaudere *realitate*, *esse positiva* in se, et *negativa* quoad existentiam.

ens in aliquo ordine, atque ab aliis secernit. Essentia est *metaphysica*, *physica*, *et nominalis*. *Metaphysica*, quae definitur primum illud, quod in re quapiam concipitur, et ex quo ratio reddi potest reliquarum proprietatum, quae in eadem re sunt, vel esse possunt; *physica*, quae sita est in complexu proprietatum entis essentialium; utraque haec essentia dicitur *realis*, quatenus opponitur *nominali*, vel *ideali*, aut *notionali*, quae reponitur in proprietate, vel complexu proprietatum a nobis in ente utcumque cognitarum (1). Ex quo patet; 1. essentiam metaphysicam rerum creatarum, nisi in sola possibilitate reponatur, a nobis ignorari, quia illud primum, quod in ente creato est, nos fugit; 2. essentiam *physicam* nos quoque ferme semper latere, quia nescimus omnium rerum creatarum proprietatum complexum (2); 3. ideoque essentias, quas de rebus scimus, esse plerumque semper *ideales*.

285. Deinde essentia est *actualis*, si actu ens habeat existentiam, a qua haud illa distinguitur: alioquin existeret aliquod ens sine essentia; *futura*, si aliquando cum ente extitura sit; *possibilis*, si non repugnat, ut existat ens, cujus est essentia, quodque tamen est in sua possibilitate (§. 283. not. ult.). Essentia *actualis* in rebus creatis est mutabilis, quatenus existentia, qua modo gaudet, quaeque est contingens, carere potest. Quare, cessante existentia, illa in nuda remanet possibilitate. Verum non ita dicendum de essentiis metaphysicis repositis in nuda possibilitate (§. 284.), *quae immutabiles* semper sunt, utpote quae unam includunt essentialium convenientiam.

286. Mutabiles dicunt essentias metaphysicas, qui possibilitatem intrinsecam a Dei voluntate repetunt (§. 280.). Ipsos vero falli, ni loquantur de essentia notionali, patet 1. quia

(1) Videtur tamen non posse haec essentia dici nominalis, uti eam vocavit Lockius, quia non ex arbitrio, sed ex fundamento immobili ex rebus desumpto formatur ex ideis generis, et differentiae a mente nostra.

(2) Sed non ideo probandus est Lockius (*De Intell. hum. l.* 3. *c.* 3. §. 15. *et c.* 6. §. 21.), qui nobis ignotas asserit omnes omnino reales essentias; ex quo deducit suum dubium de materia cogitante. Nam 1. nos clare, distincteque, inquisitione instituta, saepe in physica constituentia pervenimus, uti in illa hominis, bruti, plantae, substantiae, circuli. 2. Plures nos cognoscimus mutuo inter se differri naturas, veluti hominem a bruto, brutum a planta, plantam a vegetabili, hocque a minerali; quae certe minime nosceremus, nisi earum rerum essentias reales internosceremus. Ceterum neque de omnibus essentiis hoc dici potest, neque *intuitive*, et *a priori*, sed *arguitive*, et *a posteriori*, nempe a proprietatibus, vel effectibus, eas, quas novimus, valemus internoscere.

eas nemo mutare posset, nisi unus Deus; sed hoc Deus facere non potest. Nam hoc in casu posset ipse mutare illud omne, per quod ens in aliqua specie vel genere constituitur, quin ex hac specie, vel genere illud extraheret. Id vero repugnat, quia illud ens, cujus essentiam Deus mutaret, esset illud ens, uti supponitur, et non esset, quia careret essentia, a qua constituitur. 2. In quavis re existenti creata tria considerari possunt, essentia, existentia, modi. Ablatis porro existentia, et modis, essentia *metaphysica* adhuc remanet, quia, uti supra (§. 284) notavimus, est ipsa possibilitas rei, ultra quam nequit progredi Dei omnipotentia, uti supra quoque docuimus (§. 281). 3. Si Deus posset hujusmodi essentias mutare, posset simul, quod bonum et honestum est, malum et turpe declarare, et perjuria, fraudes, aliaque mala et inhonesta statuere uti bona; quod certe scientiam morum susque deque subvertit. Igitur non recte se gesserunt Puffendorfius, Thomasius, Coccejus, qui bonum, et malum morale, accepta, ut sunt, veluti convenientia, et pugna cum Dei ideis archetypis, a Dei voluntate repetivere.

287. Contra immutabilitatem essentiarum metaphysicarum opponunt adversarii, dicentes, 1. quod Deus numquam potuisset creare essentias, si forent immutabiles, quia simul essent aeternae; 2. essentiam unius saepe transire in essentiam alterius, uti videre est in vegetabilibus, quae in animalium essentias convertuntur; 3. potuisse Deum aliam essentiam largiri ex. gr. homini; ergo hominis essentia non est immutabilis.

288. Sed ad 1. dicimus, essentias metaphysicas considerandas esse in pura possibilitate, (§. 284), ideoque esse a divina voluntate (§. 281), et divino intellectu omnino independentes (§. 283), ac proinde immutabiles, atque aeternas. Ex hoc vero haud sequitur, Deum non potuisse, aut non posse eas creare, seu ipsis existentiam largiri; ad hoc enim duo requiruntur, potentia in Deo, et non repugnantia in essentia: cum porro haec reapse dentur, Deus creare potest ea, quorum essentiae metaphysicae sunt immutabiles. Observa tamen, essentias metaphysicas esse quid *logicum*, non vero quid *existens* ab aeterno.

Ad 2. respondemus, physicas rerum essentias mutari, cum rerum existentia destruitur, non vero essentias metaphysicas. Quare, quando ex. gr. vegetabilia transeunt in animalium substantias, destruuntur, non mutantur essentiae illae physicae, quae cum existentia et confunduntur et destruuntur, relictis interim illaesis essentiis metaphysicis. Imo, si

recte loqui velimus, dicamus oportet, essentias *physicas*, seu *factas* esse ipsissimas essentias metaphysicas, hoc tantum discrimine, quod illae sint essentiae metaphysicae, quae a Deo receperunt existentiam, modum nempe accessorium, et contingentem, quo essentiae metaphysicae natura interior non mutatur. Hoc sensu essentiae *factae* sunt *metaphysicae*, quae aliquando dicuntur *intelligibiles*, sed vocabulo improprio, quia essentiae metaphysicae non sunt merae ideae Dei, meraque intelligibilia, sed quid positivum positum extra mentem intelligentem (§. 283. prop. 1.).

Ad 3. reponimus, potuisse quidem Deum aliam largiri essentiam homini; sed tunc homo non esset praesentis speciei. Ast posito, quod Deus hunc voluerit creare hominem, essentiam, quam ipsi dedit, dare debuit, alioquin hunc voluisset, et non voluisset hominem; voluisset, quia sic supponitur, non voluisset, quia ei hujus speciei essentiam non dedisset.

289. Existentiam alii alio modo definiunt, eo forte, quia ejus idea per se clara est; tamen dici posset *possibilitas ad actum redacta* (1). Circa existentiam haec tenenda sunt veluti canones. 1. Quidquid existit, certe prius fuit possibile, alias daretur possibile extrinsecum sine intrinseco, quod repugnat (§. 281. not. 3); ideoque ab existentia ad possibilitatem recte argumentum conficitur. 2. Ex eo quod aliquid non existat, haud sequitur non esse possibile, quia potest deficere vis causae externae (§. 278); ideoque a non existentia male infertur impossibilitas intrinseca. 3. Ex eo quod aliquid sit possibile, non inde sequitur esse existens, quia causa potuit non ponere suam vim; ideoque a possibilitate ad existentiam non valet illatio. 4. Ex eo quod res sit intrinsece impossibilis, recte infertur non existere, quia a nemine valet existentiam recipere (§. 281. not. 4.); ideoque ab impossibilitate ad non existentiam valet illatio. 5. Existentia nil proinde addit essentiae, cum essentia sit in ente existente; si autem essentia in abstracto, seu in mera possibilitate consideretur, tunc existentia est quid plus essentia, uti *existere* est plus, quam *simpliciter esse* (§. 283. nota 2. n. 2.) (2).

(1) *Existentia* est simplicissima entis adfectio, nec constat attributis, quae simul sumpta intrinsece existentiam constituant. Quare distincte percipi, et exponi nequit (§. 159. not.), licet clarissime eam intelligamus, cum facile nobis sit statum rei extantis a rei possibilis statu discernere.

(2) Inter ens *intrinsece possibile*, quod nempe existere non repugnat, et ens praesens, sive *existens*, quod scilicet per causam recepit existentiam, poni debet et ens *futurum*, quod modo non est existens, neque est nude pos-

CAPUT SECUNDUM

DE GENERALIBUS ENTIUM PROPRIETATIBUS.

290. Affectiones, seu proprietates entis sunt id omne, quod de ente praeter essentiam enunciari potest. Ipsae aliae sunt generales, speciales aliae. Generales entis proprietates, de quibus hic est sermo, sunt, quae enti cuique competunt, qualenus est ens. Hujusmodi proprietates tres sunt, nempe *unitas*, *veritas*, *bonitas*.

sibile, sed ordinatum est a causa ad hoc, ut fiat praesens, seu ut existat. Hinc 1. ens *futurum* numquam extitit, neque existet in hypotesi negatae existentiae Dei, quia deesset causa, qua posset futurum e statu negatae existentiae ad statum existentiae transire. 2. *Futurum* includit ideam mutationis status entis contingentis; ens enim sua futuritione ordinatur a causa aut ad acquirendum statum positivum, quem non habet, aut ad omittendum statum positivum, in quo actu est. *Futurum* dividitur a laudato doctissimo Parchetti (*Disquisit. nov. de Deo c.* 2. *n.* 1. *ad* 3. *et* 9.). 1. in *aeternum*, cui Deus potest largiri existentiam in tempore per suam potentiam, aut per possibiles creaturarum facultates; et *factum*, cui possunt dare existentiam per suas vires causae creatae. Sic futurum *aeternum* per Dei potentiam erat hic, aliusve mundus, icon vero Transfigurationis per possibiles vires alicujus viri, e. g. Raphaelis; futurum *factum*, sive *contingens* erat ipsa Transfigurationis icon per existentis Raphaelis artem. 2. In *proxime futurum*, seu *absolutum*, quod evenire potest, quin alii status interponantur inter actualem suum statum, et ipsius existentiam; et *remote*, seu *hypothetice futurum*, quod evenire potest post alios status, per quos ipsum omnino transire debet, ut fiat existens; ideoque, ut *hypothetice futurum* existentiam recipiat, debet prorsus migrare per omnes status futuritionis remotae, atque ab his transire ad statum futuritionis proximae. *Futurum remote* est in momento, quo dejicio grave e turri, ut ipsum impingat in terram; proxime vero *futurum* in momento praecedenti tactum terrae. 3. Demum *remote futurum* potest esse *magis*, *minusque remote futurum*, prout per plures, paucioresque status transire debet, ut existentiam accipiat. Aliquando tamen dicitur aliquid *magis*, *minusve futurum* pro majori, minorive dispositione causae ad ponendum illud prae alio. Hisce positis, laudatus auctor sequentes statuit propositiones:

1. *Ad essentiam futuri non pertinet eventus actualis*. Siquidem, quatenus dicimus *futurum* aliquid, eatenus ejus existentiam negamus; et quatenus dicimus *existens*, eatenus ejus negamus futuritionem. Sed nihil potest esse sine sua essentia. Ergo.

2. *Non est necesse, ut eveniat, quod generice futurum est*. Nam 1. si necesse foret, ut eveniret, quidquid futurum est, libertas arbitrii omnino periret; actiones enim, quas posui, vel sum positurus, quia futurae erant, antequam posuissem, vel sunt futurae, antequam ponam, certe necessario posuissem, vel ponerem, si, quod est futurum, necessario eveniret. 2. Certe *futura aeterna* possunt remanere *futura*, quatenus Deus *potest* semper existentiam largiri, quin umquam largiatur: *facta remote futura* possunt in

291. *Unum* dicitur, quod indivisum est in se, at divisum a quocumque alio. *Unitas* itaque est affectio entis, qua ipsum redditur indivisum, et ab aliis distinctum. *Unitas est numerica*, qua individuum constituitur (§. 95); *specifica*, quae speciem continet; *generica*, quae includit genus. Titius est *numerice*, homo est *specifice*, animal est *generice* unum. Insuper unitas est *metaphysica*, si omnem partium compositionem excludat ab ente, quod dicitur unum, uti est Deus; *physica*, si exprimat unionem partium reapse separabilium, sed inter se arctissimo nexu colligatarum, uti est corpus quodcumque; *moralis*, si contineat collectionem plurium mutuo quidem inter se distinctorum, sed unius totius veluti membra constituentium, uti exercitus.

292. Hisce positis, dicimus, *quodcumque ens esse numerice unum*. Siquidem ad essentiam alicujus entis pertinet id omne, quo in aliqua classe reponatur, atque illud praecise sit ens (§. 284.); sed *numerice unum* est id, quo ens a quocumque alio distinguitur, et in aliqua classe evadit indivi-

statum reduci purae possibilitatis; *facta proxime futura*, quae possunt durare in suo statu, habita ratione ad Dei omnipotentiam, possunt remanere tantum in statu proximae futuritionis; *facta proxime futura*, quae fluunt, possunt fluere in statum alium, et non in proxime futurum. Quare ea tantum futura eveniant oportet, quae sunt *facta proxime futura*, nequeuntque fluere in alium statum, qui non sit status proxime futurus, uti necessario futura est existentia mundi, posita creatione, quae terminum existentem habere debet.

3. *Oppositum futuro potest esse futurum.* Nam 1. non est necesse, ut eveniat, quod futurum est (ex 2. prop.); ideoque potest esse futurum oppositum. 2. In decreto Dei aeterno, uti videbimus in Theologia naturali, fuerunt simul decreta de faciendo, et de non faciendo; proindeque uni futuro potest aliud opponi. Neque dicas, crastina die Petrum esse peccaturum, vel non esse peccaturum, unumque esse verum; nam *aeque futurum* est, ut Petrus cras peccet vel non peccet. Sic laudatus auctor componit prophetias specie eventu destitutas.

4. *Nos non facimus futurum, quod antea non erat futurum.* Nam quod nos decernimus facere, est aut extra nostram potentiam, uti decernere caelum digito tangere, aut in potentiae nostrae viribus. Sed in primo casu quocumque nostro decreto non facimus futurum illud, quod a nobis non dependet: in secundo, quod futurum dicimus post nostrum decretum, jam antea futurum erat futuritione remota.

Quare 1. decretum Dei primitivum de faciendo supponit, non constituit, neque induit *futuritionem rei remotam*; decretum vero de non faciendo supponit potentiam, quae illam in statu purae possibilitatis potest relinquere. 2. Ad praevidendum in singularibus casibus, quod probabilius erit futurum, perfectissima requireretur cognitio omnium entium creatorum universi, atque cujusque entis virium, ordinis, influxus, etc., quae procul dubio homo scire nequit.

duum (§. 291.), nempe illud praecise ens, et omnimode determinatum (§. 95.). Ergo ad essentiam cujuscumque entis pertinet, ut sit *numerice* unum. Si Petrus non est numerice unus, in plures dividi potest, non est amplius Petrus.

293. Inter *unum*, et *unicum* hoc discrimen ponitur, quod *unicum* excludat alterum ejusdem speciei, uti est Deus, qui unus alterum Deum omnino excludit; *unum* vero alia admittit ejusdem speciei numero distincta, uti Petrus, Paulus...

294. Altera entis generalis proprietas est *veritas*, quae convenientiam dicit (§. 186.). Si haec convenientia est in ideis nostrae mentis cum objectis, *logica*; si in verbis cum cogitationibus nostris, *moralis*; si in attributis entis cum sua essentia, *metaphysica* vocatur veritas. De hac una loquamur. Veritas proinde *metaphysica* est convenientia entis, vel attributorum entis cum sua essentia. Quare *verum* dicitur ens, quod habet omnia, quae ad illud constituendum requiruntur. Et quoniam Deus omnia videt, uti sunt in seipsis; ideo aliqui dicunt *verum* ens, quod cum Dei ideis convenit.

295. Porro *omne ens est metaphysice verum*. Nam quodvis ens habet omnia, quae illud tale constituunt, cum sua convenit essentia, ideisque Dei apprime respondet, alioquin non esset ens, imo foret intrinsece impossibile. Sed in hoc praecise est veritas metaphysica (§. 294). Quare falsum aurum, et argentum haud existunt, sed *falsa* vocantur ex apparentiis, quibus saepe illudimur (§. 257.); sunt autem *verum* aurichalcum, ferrum, aliudve hujusmodi, quorum essentiam habent.

296. *Bonitas*, quae perfectionem denotat, est tertia generalis entis proprietas. *Bonitas* generice sumpta indicat perfectionem entis in suo genere. *Bona* dicuntur fructus, panis, aqua, arbor, pharmacum, vestis, horologium, prout nobis prosunt, atque ad finem sunt apta. Hinc *bonitas* est *metaphysica*, si consideretur in ordine, et consensione perfecta essentialium entis; *absoluta*, si in ente accipiatur sine respectu ad alia entia; *relativa*, si illa bonitas relationem ad aliorum entium bonitatem dicit; *moralis*, si reponatur in conformitate actionum humanarum cum recta ratione, et morum regulis. Deus solus est *absolute* bonus; quivis homo est *relative* bonus; omnis actio legi divinae respondens est *moraliter* bona.

297. Verum *quodcumque ens est metaphysice bonum.* Siquidem omne ens habet essentialia, uti postulat ordo essentiae ipsius, alias neque propria gauderet essentia, neque proinde existeret. Quare, licet omne ens creatum finitum sit, ideoque reperiatur in ipso *malum metaphysicum*, quod in limi-

tatione perfectionum reposuit Leibnitius; tamen *metaphysice bonum* dicendum potius est hoc *malum*, quia etiam ad essentiam entis creati pertinet, ut sit limitibus circumscriptum.

298. Ast nonne malum est horologium, quod horas non indicat? Nonne mala aqua aegroto? Nonne malum est marsupium auro plenum juveni vitiis assidue indulgenti, et sexcenta alia, quae nobis nocent? Minime gentium. Nam hoc in casu *bonum*, et *malum* ex fine respicimus. Dicimus proinde *malum* horologium, cum finis ejus non obtinetur, licet pretiosa sit materia: *malam* aegroto aquam, quia forsan febrim auget; *malum* marsupium juveni in vitia vergenti, quia scelestior fieret. Igitur ex fine solemus *bonum* metiri. Quare temerarie obloquuntur, qui omnes Dei fines nescientes in Dei opera debacchantur, quae tamen sunt *valde bona*.

CAPUT TERTIUM

DE VARIIS ENTIUM SPECIEBUS.

299. Cum multiplicis generis sint entia, in varios articulos de ipsis, ut claritati consulamus, agemus.

ARTICULUS PRIMUS

DE SUBSTANTIA, ACCIDENTI, SUPPOSITO, PERSONA.

300. Multiplices hucusque datae sunt *substantiae* definitiones. Cartesius eam definivit: *res illa, cui insunt formae sensibiles, et attributa*: Hebenstreit: *ens, quod non existit in alio, tamquam in subjecto*; Leibnitius: *ens, quod principium mutationum in se continet*; Wolfius: *subjectum perdurabile, et modificabile*; Genuensis: *subjectum illius, quod est*; Spinoza: *id quod in se est, et per se concipitur*; Rosminius: *vis, et energia, qua ens existit*. Imo Alphonsus Testa (*Fil. della mente. Dell'Identità della sostanza e della forza disc.* 3.) adeo in hanc definitionem *substantiae* institit, ut dixerit, sentire cum Spinoza, qui *substantiam* a *vi* distinguit. Definitio tamen Cartesii in eo peccat, quod excludat a Deo *substantiam*, quia Deus non habet *formas sensibiles*. *Substantia* definita a Leibnitio videtur ne Deo quidem aptari posse, utpote qui nullam *mutationem* potest habere. Idem dicatur de *substantia* Wolfii, quae Deo nequit

convenire, qui *modificationibus* excipiendis non est idoneus. Neque videtur probanda illa cl. Rosminii, cui consonant Galluppi, Melillo, aliique, quia *substantia* pollet vi, non autem ipsa est vis, et energia. Demum refutanda est *substantia* Spinoziana, quae est similis huic: *res, quae ita existit, ut a nullo alio dependeat in existendo*, quam Cartesio tribuit Mastrofini (*Met. Subl. t.* 1. *l.* 1. *c.* 1. §. 13.)

301. Verum reflexionem in nos convertamus. Certum est, in nobis esse animum, eumque diversis subjectum affectionibus. Istae affectiones mutantur quovis temporis momento, cum animus modo huc, modo illuc cogitatione transvolet; modo hoc, modo illo affectu pulsetur, ipso animo tamen eodem permanente. Aliud igitur in animo *per se existit*, nec, ut existat, indiget alio, cui inhaereat, et aliud ita existit, ut alio indigeat, cui inhaereat. Dic idem de aliis rebus creatis, in quibus semper duo considerari possunt, nempe, quod adeo existit, ut alio non egeat, in quo existat; et quod adeo existit, ut in alio necessario debeat existere. Primum est *substantia* a *substrato*, alterum est *accidens* ab *accessione*. *Substantia* itaque est ens ita existens, ut nullo alio indigeat subjecto, cui inhaereat, ut existat (1). *Accidens* vero, vel *modus* est id omne, quod indiget subjecto, cui inhaereat, ut existat, ideoque semper *accedit* subjecto, quod *modificat* (§. 107.) (2).

(1) Quae definitio ceterarum difficultatem non continet, ut ait idem Mastrofini (loc. cit. §. 14.), et convenit rei, sive modificationibus praetexatur, sive supra ambitum, et fluctuationem harum ottollatur; convenit proinde Deo, et rebus a Deo procreatis, quae Deo non inhaerent tamquam subjecto, utcumque vim Dei poscant sibi perpetuo, ut prodire valeant ad existentiam. Verum Auctor *Fragmentorum Cosmologiae* (c. 3. sect. 1. n. 5.) cupit, ut a definitione *substantiae* auferatur status accidentalis *existentiae*, quia et possibilia prima sunt verae substantiae, eaedemque cum substantiis existentibus, atque in eo solum differentes, quod istae affectae sint variabili modo existentiae; atque vult, ut substantia dicatur *ens simplex*. Quare *substantia* juxta ipsum est *ens simplex, quod, ut existat, nullo alio ente indiget, cui inhaereat*. Quae doctrina videtur utilissima, imo necessaria ad statuendas plures veritates, et plures lites finiendas de *possibilitate*, quas supra proposnimus (§. 281. ad 289.).

(2) Neque hic est silendum de origine ideae *substantiae*, quam diversimode explicarunt philosophi pro uniuscujusque ingenio, et arbitrio. Nam Lockius, Condillachus, Degerando, aliique *sensistae* dicunt, ideam substantiae a nobis efformari non posse neque sensatione, neque reflexione, sed tamen consistere in aggregato modificationum, et affectionum, quas tantum sensatione, et reflexione attingimus. *Schola scotica*, duce Reid, tota in examinandis facultatibus, actionibus, et affectionibus *mentis* cogitantis, quin de naturá-

302. Substantia aut est *spiritualis*, si partibus careat, atque intellectu, et voluntate donetur; aut est *materialis*, si partibus physicis constet, atque ornetur soliditate, gravitate, etc. Deinde substantia aut existit per se tota, quin ordinetur cum alia ad efformandum aliquod tertium; aut ita existit, ut natura sua ordinetur ad aliam, cum qua copulata tertium quid totum efformet. Primo casu dicitur substantia *completa*, uti Angelus; secundo casu *incompleta*, uti anima humana ordinata ad efformandum hominem copulata corpori. *Completa substantia* vocatur quoque *suppositum*, quod proinde definiri potest substantia suorum actuum principium, et ultimo completa, uti lapis, arbor, canis, Angelus, Cartesius (1).

et substantia animae adlaboraret, credidit, ideam substantiae nullo modo haberi posse (§.56.). *Transcendentalistae* Kantius, Fichteus, Bouterveckius, Bardilius, Schellingius, Hegelus, ac nuperrime Alphonsus Testa (*Filos. della mente disc.* 1. *dell' Essere, e del Princ. di sostanza*) dictitant, *substantiae* ideam efformari *a priori* occasione experientiae, sed non ab experientia, verum a ratione, quae ita est constituta, ut mutationum causam, ideoque substantiam cogitet. Hinc Scotica Schola ex *judicio instinctivo* sub affectionibus substantiam probabat, quod et placuit Cousino (§. 64.), qui ex facultate *inspirationis*, seu ex *spontaneitate* rationis ideam *substantiae* deducere satagit; in sententia vero *sensistarum*, et *Transcendentalistarum* substantia omnino evanescit. Verum contra hos omnes intimum sensum opponimus, quem Testa fidelem judicem minime hac de re credit. Nam *nos sentimus modo passivo actionem non mei super me, et modo activo reactionem mei super non me*. Igitur sentimus modo concreto actionem objectorum externorum super subjectum sentiens, et hujus reactionem super objecta. Quare experientia interna, et externa nos experimur *aliqua subjecta*, eorumque modos; seu *realia agentia, realia subjecta*, quibus inhaerent actiones, *realia* principia, quae actiones producunt. Porro haec subjecta sunt *substantiae*, quae sunt veluti *fulcra* affectionum, modorum, actionum, passionum, nec proinde aliena vi indigent, ut modos suos sustineat, ut agat, atque patiatur. Quapropter, si vim a substantia adimas, tolles etiam notas sustinendi, et resistendi; tolles existentiam *in se*, facies de substantia affectionem; aut saltem substantiam possibilem statuas (not. aut). Quantum vero Lockius, ejusque sectatores distent a vero, dum in *congerie qualitatum simplicium sensibus perceptarum*, ut loquitur ipse Lockius, reponunt substantiam, ex eo patet, quod substantia sit quid *stabile*, qualitates vero perpetua successione mutentur; illa existat sine alio subjecto, cui inhaereat, hae vero subjectum, cui inhaereant, et sine quo esse nequeunt, supponunt. Galluppi (*Elem. di Filos. t.*3.*c* 4 §.35).

(1) Dicitur *substantia*, quia consuetudo non patitur, ut *suppositi* nomen tribuatur accidentibus vel modificationibus; *suarum actionum principium*, quia debet in *supposito* inesse principium integrum suarum affectionum, seu operationum, qua deficiente conditione, brachium avulsum a corpore non est suppositum, cum non sit suarum actionum integrum principium, quia pendet a corpore; *ultimo completa*, quia *suppositi* nomen tribuitur rebus individuis, et singularibus, non vero speciebus, et generibus. Sic fere ait Mastrofini (*Met. Subl. l.* 1. §. 15. *et* 16.)

Si deinde haec completa substantia ratione ornetur, dicitur *persona*, quae proinde est substantia, rationalis, singularis, sui juris, et ultimo completa, aut, uti placuit Boetio, *naturae rationalis individua substantia*. Ex quo patet, *personam* esse semper *suppositum*, non vicissim; uti *suppositum* est semper *substantia*, sed non e converso (1).

303. Modus existendi in substantia aut eam statuit in *esse* substantiae, et dicitur *independentia*, aut *perseitas*, uti scholastici loquuntur; aut ad rationem suppositi extollit, et vocatur *subsistentia*, et a graecis *hypostasis*. *Subsistentia* proinde est modus existendi, qui naturam entis reddit sui juris, proprium, et adaequatum principium suarum operationum. Haec vocabula *suppositum*, *subsistentia*, *hypostasis* idem significant apud Ecclesiae Patres, cum de spirituali substantia loquuntur; imo aliquando cum *persona* confunduntur. Ceterum non recte se gerunt, qui generice *subsistentiam* vocant *independentiam a subjecto inhaesionis*; nam modus existendi est, ideoque indiget ente existente.

304. Quoniam vero *suppositum* est substantia completa (§. 302.); ideo apud scholasticos natum est axioma: *actiones sunt suppositorum*. Verum vis agendi proprie spectat ad naturam, seu ad *substantiam*, ita ut ex diversis naturis diversae oriantur actiones. Quoniam vero *substantia* non potest actionem elicere, nisi sit subsistens, et completa; ideo actiones sunt *suppositorum*, seu substantiarum subsistentium. Ast si accipiatur *suppositum* pro subsistentia (§. 303.), actiones tunc sunt *denominative*, uti dicunt, *suppositorum*, non vero *elicitive*, quia ex. gr. non humanitas agit, sed natura humana (2).

(1) *Persona*, dicta a verbo *persono*, olim designabat histriones, qui vultui suo larvam quamdam accomodabant, una tantum via emittendae vocis aperta. Quoniam vero illi histriones personis inductis repraesentabant individuos homines; ideo *personae* nomen translatum est ad significandum generice humanam substantiam, eique superfusas peculiares adfectiones animi, et corporis, imo etiam relationes nationum, patriae, generis. Sed relicta primogenia significatione, modo innuit, quod supra in definitione posuimus. Notatur tamen, in Boetiana definitione verbum *individua* stare pro *incommunicabilis*. Vide Mastrofini (*Met. Subl. l.* 1. §. 19. *ad* 21.)

(2) Hinc dicit Cl. Mastrofini (*Met. Subl. l.* 1. §. 23. *ad* 31.), *suppositum* debere in se habere principium suarum operationum, quod principium est ipsamet *natura*, quae est in supposito, quod illam peculiari modo existendi affectat, ultimo complet, et ab ea non re, sed cogitatione distinguitur. Hinc qui dicit *suppositum*, dicit etiam *naturam*, quae a supposito terminatur. Quare *suppositum* abstracte acceptum pro eo, quod *naturam* terminat, et complet, non est fons, et origo operationum, sed est conditio penitus necessaria, sine qua *natura* non operatur.

305. *Accidens*, de quo supra (§. 301.), *modus*, *qualitas* confundi solent, quia exprimunt, quidquid subjecto *accedit*, illud *modificat*, ad aliquam classem determinat, quae fere idem sonant. Verum distinguenda sunt; nam in ente *qualitas* est quaecumque proprietas, quae exprimit id omne, quod *proprium* est entis. *Proprietates* vero sunt aut ipsa essentialia, aut attributa, aut accidentia. *Essentialia* ipsam rei essentiam constituunt, uti *animalitas*, et *ratio* in homine (1); *attributa* sunt proprietates ab essentialibus manantes, uti intellectus, voluntas, memoria in mente hominis (2); *modi* demum, sive *accidentia* proprie rationem habent in attributis, et ens ad individuum singulare melius determinant, et fere complent (§: 95. 96.), uti est doctrina, sanctitas in Francisco, in Paulo. Capacitas tamen habendi accidentia est attributum, quia haec capacitas ab essentia entis oritur. Vide Storchenau (*Ontol. sect.* 2. *c.* 3. §. 57.). Porro neque *essentialia*, neque *attributa* sunt variabilia, donec ens est hoc ens, secus non foret illud praecise ens (§. 284.); sed *modi* mutari continuo possunt, quin ens desinat esse illud ens (3). *Accidens* praeterea dispesci solet in *physicum*, quod nempe ens modificat, et sine subjecto esse nequit, uti doctrina; et *logicum*, quod enti qui-

(1) *Essentiale*, proprie loquendo, est primum illud, quod analysis exhibet, ut primum in ordine cognitionis, dum peragitur demonstratio. *Essentialia* essentiam constituentia nullam inter se admittunt dependentiam, neque tamen ens dici potest enasci ex *coadunatione* ipsorum essentialium, quasi nempe ista carerent naturali nexu. Quare unitio essentialium, ut ait auctor *Fragmentorum Cosmologiae* (c. 3. *sect.* 1. §. 6. 7.), intelligenda est aeterna, et immutabilis, uti essentia metaphysica (§. 286); neque intelligi potest ens, quod illa simul non colligat. Interea tamen inter ipsa unum primum concipi potest ordine cognitionis, ex quo uno alia emanare concipiuntur, uti *aseitas* in Deo, ex qua aliae Dei proprietates profluere dicuntur.

(2) *Attributum* tamen videtur vocabulum inexactum, quia tacite insinuat, esse aliquid adjectum essentiae, et extrinsece adveniens. Sed inopia vocabulorum cogit, ut hoc verbum retineamus.

(3) Hinc *sine substantia modus esse nequit* (§. 260. n. 5.), quod philosophi vocant *principium substantiae*. Et recte quidem; nam quivis *modus* non existit *in se*, alioquin foret *substantia*, ideoque simul substantia, et modus. Substantia vero capax modorum esse debet, alioquin modus pariter existeret *in se*, ideoque denuo substantia, et modus esset. Ceterum tantum substantia finita, utpote mutabilis, *modis* subjicitur, sine quibus foret substantia indeterminata. Hoc autem principium continet veritatem necessariam, quia in propositione: *nullus modus potest esse sine substantia*: praedicatum *esse sine substantia* continetur in subjecto *nullus modus*, uti examinanti patet. Potest tamen enunciari hoc pacto: *quilibet modus est in aliqua substantia.*

dem haeret, sed substantia esse potest, uti vestis in humano corpore (1).

306. Cum porro multa existant in rerum universitate, et ita existant, ut alio subjecto non indigeant, in quo existant, patet, non unam esse substantiam, ideoque non recte eam definiisse Spinozam (§. 300.), qui inde conclusit, unam tantum esse substantiam. Et hoc constat etiam ex eo, quod aliae possibiles sint substantiae, quae certe non existunt, et poterant existere, quin proinde unam efformarent substantiam. Demum multa sunt in entibus, quae simul stare nequeunt, uti quadratum et rotundum, quae proinde in pluribus distinctis stare debent. Sed de his alibi.

ARTICULUS SECUNDUS.

DE ENTE CONTINGENTI, ET NECESSARIO, DE MUTABILI, ET IMMUTABILI

307. *Necessarium* est id, cujus oppositum repugnat; *contingens* vero, cujus oppositum esse potest. Circulus est *necessario* rotundus, mundus est *contingenter* existens. Necessarium vero est *existentiae*, si adeo ipsi existentia conveniat, ut non existere repugnet; et *essentiae*, si adeo essentiam entis ingrediatur, ut oppositum esse nequeat. Deus est necessarius *existentiae*: attributum fontale in ente, utpote quod essentiam metaphysicam (§. 284.) constituit, est *necessarium essentiae*. Deinde necessarium est *absolutum*, cujus oppositum intrinsece repugnat; sic Deus est *absolute* necessarius; *hypotheticum*, cujus oppositum repugnat sub data conditione,

(1) Aliqui veteres scholastici probarunt etiam *accidentia absoluta*, quae nempe sine subjecto *naturaliter* esse non possunt, sed in ipso non sunt tamquam ejus partes; e. g. colores, sapores, etc: Haec doctrina falsa reputatur, uti notat auctor *fragmentorum Cosmologiae* (*c.* 3. *sect.* 2.). Nam 1. hac admissa opinione, existentia corporum nobis evanesceret, cum ex mente adversariorum accidentia *absoluta* aeque ac corpora in nostros sensus agere possunt. 2. Haec *accidentia* aut sunt de genere entium, ex quibus primo componi, et in quae ultimo resolvi potest mundus, et tunc *substantiae* sunt, aut non sunt ex eorum genere, et tunc non sunt possibilia *primitiva*, sed eorum possibilitas intrinsece pendet ab aliis substantiis. Quare *accidentia*, adfectiones, relationes, et quidquid contingens in ente reperitur, non sunt *absolute* possibilia, sed *hypothetice*, hoc est ex suppositione existentiae primorum possibilium. Ita divisibilitas in corpore est possibilis, facta hypothesi existentiae corporis, ut notat idem auctor (*c.* 1. §. 8. *nota, etc.* 3. *n.* 7.)

aut sub aliquo respectu: sic Petrus *necessario* existit, facta *hypothesi*, quod existat. Ens *mutabile* est illud, quod potest esse aliter ac est; *immutabile* vero est illud, quod nequit esse aliter ac est. Quaevis creatura est *mutabilis*, *immutabilis* Deus. Ens potest esse *mutabile* quoad *existentiam*, et quoad ea, quae existentiam consequuntur. Utraque haec mutatio *interna* dicitur, quia variationem in ente ponit; *externa* vero mutatio, si non varietur ens intrinsecus, sed tantum extrinsecus, quatenus novam denominationem, novumque respectum recipit, uti mutatur *extrinsece* columna, cum circa ipsam immobilem aqua decurrit.

308. Hinc patet 1. necessarium absolutum, et contingens se invicem excludere; 2. se invicem quoque excludere necessarium absolutum, et hypotheticum; 3. simul stare posse contingens, et necessarium hypotheticum; 4. necessarium absolutum nec initium habuisse, nec finem habiturum, alioquin oppositum non repugnaret; 5. ideoque rationem suae existentiae in se habere, alias principium haberet; 6. ideoque necessarium absolutum esse immutabile, secus oppositum esse posset; 7. et proinde modis, seu accidentibus subjici non posse, quia accidentia esse, et non esse possunt (§. 305.); 8. necessario tamen absoluto non repugnare mutationem externam, quae nihil ponit in ipso, nihilque ab ipso detrahit; 9. contingens e contra initium habuisse, ac proinde in alio habere suae existentiae rationem; 10. contingens in omnibus iis, quae in ipso contingenter sunt, esse mutabile; 11. ideoque esse mutabile quoad existentiam, et quoad ea, quae existentiam consequuntur, quae omnia potest accipere, vel amittere, ac propterea ipsorum respectu esse aliter ac est; 12. ens contingens in ente necessario habere suae existentiae rationem, cum in alio contingente nequeat habere, quia hoc aliud rationem sufficientem suae existentiae in alio etiam habet, et quodvis contingens suae existentiae ratione sufficienti destituitur (ibid.); 13. ideoque, dato uno ente contingente, ens necessarium admittendum esse; 14. et proinde, admissa entium contingentium serie, ens necessarium esse admittendum, quia quodvis ens illius seriei indiget ente necessario; 15. existere entia contingentia, uti cuique patet; 16. ideoque existere ens necessarium.

ARTICULUS TERTIUS

DE ENTE COMPOSITO, ET SIMPLICI.

309. *Compositum* generatim sumptum dicitur id quod ex pluribus exsurgit; quod vero pluribus destituitur, *simplex* vocatur (1). Plura conjungi possunt ex se, et *compositum* erit *naturale*; aut consociantur hominum industria, et erit *artefactum*. Compositum est *metaphysicum*, si partibus realibus quidem caret, sed multis ex attributis veluti conflatur, quae tamquam ejus partes concipiuntur; ita est *metaphysice composita* mens humana, in qua intellectus, voluntas, memoria insunt. *Metaphysice* composita dicuntur etiam, quae constant *materia* et *forma*, *potentia* et *actu*, *essentia* et *existentia*. Compositum *physicum* est, quod partibus reapse separabilibus constat, uti corpus quodcumque. Compositum *logicum* demum dicitur, quod constat genere, et differentia. *Simplex* quoque multiplex est, nempe *metaphysicum*, quod uno exsurgit attributo, ideoque rejicit *materiam* et *formam*, *potentiam* et *actum*, *essentiam* et *existentiam*; *physicum*, quod rejicit partes reapse physicas; *logicum*, quod genus, et speciem a se repellit.

310. Compositum physicum est *extensum*, quatenus partes extra partes habet; hocque *extensum* dicitur *continuum*, si inter partes inter se adstrictas aliae partes interponi nequeant; *interruptum*, si inter partes suas partes aliae esse possint. Quare in *continuo* partes se mutuo excipiunt, atque communem terminum habent; in *interrupto* autem partes per contiguitatem ad communem terminum constituendum vergunt. Quodlibet ens corporeum est *interruptum*, quia quodvis corpus partibus constat, inter quas aliae esse possunt. Quapropter verum *continuum* est illud, quod intellectu mathematici conspiciunt, cum *continua physica* potius interrupta vocari possint.

311. Ex quibus inferimus, 1. enti tum simplici, tum composito competere omnia de ente in genere dicta, quia illa sunt istius species; 2. ens simplex, et compositum sese mutuo opponere, quia illud pluribus destituitur, istud vero pluribus constat; 2. ideoque inter ens compositum et simplex

(1) Idea *simplicis* non est *negativa*, sed exprimit in ente positionem realitatis, ex qua partium negatio emergit.

nullum dari medium, quia quodvis ens simplex est, aut compositum; 4. ens physice compositum in partium coagmentatione consistere, quia, hac remota, illud evanescit; 5. et proinde in hac partium coagmentatione esse ipsius essentiam repositam, alioquin illud existeret sine hac; 6. quare entis physice compositi essentiam esse sitam in quodam accidenti, cum coagmentatio partium esse, vel abesse possit ab ente, servato aut rupto partium vinculo, licet haec coagmentatio enti considerato uti composito necessario conveniat; 7. ideoque ens physice compositum esse etiam ens contingens, et mutabile (§. 307.), quia neque repugnat oppositum, neque nequit esse aliter ac est; 8. atque pluribus simplicibus, vel indecomponibilibus constare, ne dicatur in infinitum divisibile; 9. et propterea in composito esse plures substantias; 10. et simul dari entia simplicia, vel indecomponibilia, posito ente composito (1).

ARTICULUS QUARTUS

DE ENTE FINITO, ET INFINITO.

312. Illud *finitum* dicimus, quod in suis perfectionibus circumscriptum est, quodque proinde augmenti, et decrementi est capax, uti sunt omnes res creatae; *infinitum* vero, quod omnem realitatem complectens nullo modo augeri, minuive potest. Infinitum aut est tale, quia hoc modo consideratur, et ulterius progredi est nobis negatum, et *indefinitum* vocari solet, uti quantitates arithmeticae: aut reapse nullum augmentum, vel decrementum admittit, et dicitur *infinitum absolutum*. Quare ideam *infiniti absoluti* ex idea *finiti*, et *realitatis* efformamus, consociando nempe realitates, omnesque limites removendo ab ente finito.

313. Hinc deducimus, 1. ens finitum esse contingens, quia augeri, minuive potest, ideoque aliter esse ac est (§. 307); 2. ideoque ens finitum non in se rationem suae existentiae

(1) Circa essentiam entium simplicium notari oportet, ipsam non reponi in peculiari modo, vel forma afficiente, vel determinante illorum existentiam; quia peculiaris modus, vel forma perpetuo consequi debet entium simplicium existentiam, quae hisce modis definitur vel circumscribitur. Modi hujusmodi proinde, vel formae non sunt illud, quod primum in entibus simplicibus concipitur (§. 284.). Sic ideae in mente nostra non sunt ipsius mentis essentia, quia existentia mentis illis ideis alio et alio modo afficitur, vel terminatur, uti notat Mastrofini (*Met. Subl. l. 1. c. 1. n. 4.*)

habere, sed in alio; 3. hoc aliud non posse finitum esse, alioquin et ipsum alio indigeret; 4. ideoque entia finita in ente infinito habere suae existentiae rationem sufficientem; 5. ens infinitum omnes perfectiones in se continere, secus augmentum admittere posset; 6. ideoque etiam existentia donari ens infinitum, quae certe est aliqua perfectio; 7. deinde numerum absolute infinitum repugnare, quia numerus augeri, minuique potest, et hoc ipso non esset infinitus, (§. 283. prop. 1.); 8. proindeque neque dari extensionem infinitam, alioquin daretur numerus partium infinitus; 9. ideoque ens extensum esse non posse infinitum; 10. et propterea ens infinitum esse simplex; 11. infinitum omnes realitates in se continere, quae in omnibus entibus insunt, sed omni defectu defaecatas, alias aliqua privaretur perfectione; 12. plura infinita repugnare, secus unum forent, quia unumquodque aliorum perfectiones deberet habere, et proinde etiam id omne, in quo distinguerentur, utpote quod unumquodque supponitur infinitum.

CAPUT QUARTUM

DE MULTIPLICI ENTIUM RELATIONE.

314. De specialibus relativis entium proprietatibus hic agendum est. *Relativae* entium proprietates sunt illae, quarum ope *unum ens alterius notitiam suggerit*, vel unus ejusdem entis status ideam alterius. Ita patris idea filii excitat ideam, et meae tristitiae status ideam status meae laetitiae in mentem mihi revocat. *Relatio* proinde est *nexus*, seu respectus quicumque unius ad aliud, aut ordo ille, quo unum cum alio cogitatur. *Relationis* idea est omnino *objectiva*, quatenus reapse aliqua inter se ita referuntur, ut unum aliud supponat; et quatenus non surgit illa idea in mente nostra ex quodam *judicio instinctivo*, ut vult Reid, aut quatenus non est quaedam forma intellectus puri, ut placuit Kantio. Relatio est *logica*, si a mentis consideratione pendet, uti est illa, quae adest inter modos, et substantiam, a qua modi dependent, et in qua existunt; haecque dici potest etiam *modalis*; relatio vero est *realis*, si viget in rebus ipsis ante omnem mentis operationem, uti est illa, quae intercedit inter causam, et effectum. Porro mens nostra certe valet ponere relationem inter varios respectus, et ordines suarum idearum; et certe in

multis rebus relatio realis reperitur. Logicam vero mens nostra veluti creat, *realem* in rerum universitate detegit. In *relativis* proprietatibus notari debet subjectum, *quod refertur*; terminus, *ad quem illud refertur*; fundamentum relationis, *ob quod illud ad istum refertur*, et terminos reddit relationis capaces (1). Hoc vero fundamentum potest esse tantum ex parte unius termini, quo in casu non est mutua relatio. Sic ex. gr. effectus dependet a causa, sine qua esse nequit; sed causa, uti *ens*, et *in esse sui*, potest esse sine effectu. Nonne Philippus Macedo poterat esse Philippus sine Alexandro, qui tamen sine patre esse nequibat? Plures sunt proprietates relativae, nempe identitas et distinctio, similitudo et diversitas, quantitas et aequalitas, successio, ordo, duratio, spatium, quae omnia hic expendenda sunt.

ARTICULUS PRIMUS

DE DISTINCTIONE, ET IDENTITATE.

315. *Distincta* ea dicuntur, quorum unum non est alterum. Hinc *distinctio* est affectio entium, qua unum non est alterum, nempe non sunt idem unum. Distinctio est *realis*, si intercedat inter res, quae ita inter se ante mentis cogitationem secernuntur, ut una altera non sit; *virtualis* vero, aut *rationis*, cum res mentis tantum operatione a se mutuo separari possunt. Realis distinctio dicitur *realis realissima*, quae intercedit inter ea, quae reapse separata sunt, vel saltem separari, et discindi queunt, uti corporis inter alicujus partes; *realis modalis*, quae reponitur inter substantiam, ejusque modos; *realis formalis*, quae statuitur inter ea, quae in re, seu a parte rei sunt quidem distincta, sed adeo inter se colligata, ut nullatenus separari possint, uti inter ejusdem substantiae attributa. Distinctio vero virtualis est *rationis ratiocinantis*, si intercedat inter ea, quae a mente separata concipiuntur sine fundamento in re, uti inter hominem, et animal rationale; et *rationis ratiocinatae*, quae cadit in ea, quae separari quidem nequeunt, sed a parte rei sunt distincta. Distinctio *formalis* habet auctorem Ioannem Duns Scotum

(1) *Absoluta* dicuntur, quae concipi possunt, quin alia intelligantur, uti Petrus. Hinc *Ens absolutum* est illud, quod ex se concipitur, nullamque dependentiam involvit; tale est Deus; e contra ens *relativum* dicitur illud, quod intelligi nequit sine alio, a quo dependet; tales sunt omnes creaturas Hic est sermo Transcendentalistarum.

ex Minorum familia, atque non levis litis origo fuit. Sed lis composita dicenda est, quia de vocabulis erat quaestio. Nonne Scotica distinctio *formalis* est eadem ac distinctio *rationis ratiocinatae*, quam tuentur, qui Scoticam rejiciunt?

316. Distinctioni adversatur *identitas*, quae efficit, ut ens unum aliud sit, aut saltem ambo *identificentur* in aliquo, licet forsan distincta sint. *Eadem* autem possunt esse inter se duo entia primum *genere*, si ejusdem generis proprietate exornentur, uti materia, et spiritus, quae eadem sunt ratione substantiae; secundo *specie*, si habeant ejusdem speciei attributa, uti Petrus, et Paulus; tertio *numero*, si in eodem subjecto uniantur, licet distinctam habeant existentiam, uti intellectus, et voluntas in una anima. *Identitas numerica* est *realis* in iis, quae diversum inferunt conceptum, sed unam habent individuam essentiam, uti in intellectu, et voluntate; *formalis* vero in iis, quae neque idem diversam ideam praeseferunt, uti in homine, et animale rationali. Illa *numerica identitas*, quae est in subjecto, in quo eaedem proprietates servantur, dicitur *physica*, vel *absoluta*, si subjectum nullam mutationem in se subierit; *relativa*, si subierit aliquam non apparentem mutationem; *moralis* si in hominum opinione pro eodem computetur, licet mutationem subierit; *metaphysica*, si nullam nec subierit, nec subire possit mutationem. Exemplum sit homo, in quo *identitas physica* est, donec tum in anima, tum in corpore nullam admittit mutationem; est *relativa*, si aliquid ex. gr. passus sit, quod tamen in corde servat: est *moralis*, si, licet coram Deo ex. gr. scelestus factus sit, adhuc tamen probus aestimetur; *metaphysica identitas* in uno Deo, qui immutabilis est, inveniri potest (1).

(1) Doctrinam ab omnibus fere traditam de identitate supra quidem docuimus; sed praeterire nequimus, quae acutissime tradit auctor *Fragmentorum Cosmologiae.* Docet itaque (*c.* 3. *sect.* 3, §. 4.), *identitatem praedicari* non posse de pluribus, sed tantum de uno, licet sit *modaliter* multiplex. Hinc dici nequit, mentem meam esse *eamdem* cum tua, sed dici potest, mentem meam volentem esse *eamdem* cum mente mea intelligente. Et reapse *omnino repugnant duo entia identica*, *seu eadem*. Nam nequeunt procul dubio dici *identica*, et *eadem* illa, quorum unum non est aliud; quae distinguuntur inter se; et quorum unius adfectiones, et modi non sunt adfectiones, et modi alterius; atqui quodlibet ens est *immutabiliter*, et essentialiter unum, ab alio distinguitur, atque suas adfectiones, suosque modos habet distinctos ab adfectionibus, modisque alterius. Ergo. . . . . Absurdum proinde est axioma, *quae eadem sunt uni tertio, sunt eadem inter se*, nisi substituamus verbo *eadem* verbum *similia*, aut *aequalia* (ibid. *c.* 2.

317. Leibnitius repetit *identitatem* nostrae personae a convenientia variorum statuum nostrae animae, et ab ipsius harmonia cum universi substantiis; Cudworthus ex unione animae cum quodam germine incluso indissolubili modo in nostro corpore; Bonnetus, personam respiciens quoad sui cognitionem, identitatem repetit propriae personae ex statuum praeteritorum comparatione cum praesenti, identitatem vero personae alterius hominis ex notitia habita, illam non esse loco, tempore, aliisque circumstantiis mutatam; Lockius vero ex conscientia referente praeteritas adfectiones, easque conjungente cum praesenti animae statu (1). Verum aut hic loquamur de identitate *morali*, et homo conscius est de *identitate* suae personae comparando praesentem suum statum cum praeteritis; aut de *physica*, et tunc suae personae *identitatem* deducit a constanti permanentia animi sui, et a continuitate vitae animalis, quoad corpus. Ex his facile est eruere, quonam in sensu aliquis homo dici possit *idem physice*, *relative*, aut *moraliter*.

318. Licet porro *identitas*, et *distinctio* videantur inter se opponi, tamen possunt diverso sub respectu in eodem reperiri subjecto. Ita anima et corpus sunt *realiter distincta*, et tamen efformant *eumdem* hominem; intellectus, et voluntas *formaliter* distinguuntur, et tamen sunt in una anima. Interim hos canones habeto; 1. quae sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se; 2. quorum unum est idem sub aliquo respectu cum tertio, alterum sub eodem respectu distinctum, sunt distincta inter se, considerata sub illo respectu.

ARTICULUS SECUNDUS

DE DIVERSITATE, ET SIMILITUDINE.

319. *Diversa* sunt entia, quorum unius notae non sunt in altero, ideoque, substitui nequeunt; *similia* sunt, quae habent easdem specie notas, proindeque possunt substitui. Quare proprie *diversitas*, et *similitudo* ad qualitates entium refe-

§. 5.). Si vera sunt haec, in fumum abeunt, et a philosophia sunt eliminandae illae variae identitatis species, de quibus supra locuti sumus, nempe generica, specifica, numerica, quasque retinuimus ad intelligendos philosophos.

(1) Si vera esset Lockii opinio, in ebrietate, in somno, in dementia cessaret *personae identitas*, quia tunc conscientia, seu memoria non referret praeteritas adfectiones, nec cum praesentibus conjungeret, vel compararet; deinde expergefieret illa *identitas*, aut revivisceret, conscientia redeunte.

runtur, non vero ad eorum quantitatem, nisi quatenus et quantitas inter qualitates adnumerari potest, uti collectio notarum potest dici quantitas. Quapropter diversa sunt semper a se mutuo distincta, licet distincta non sint semper diversa, quia easdem specie notas habere possunt (1). Diversa sunt aut *disparata*, quorum unius conceptus alterius conceptum non excludit, seu simul stare possunt, uti pietas, et doctrina in eodem homine; aut *opposita*, quorum unius conceptus excludit conceptum alterius, seu simul stare nequeunt, uti amor, et odium in eodem erga eumdem.

320. *Diversitas* oriri potest ab *intrinseco* entium, nempe ab ipsis proprietatibus essentialibus, aut accidentalibus, uti ratio, doctrina in homine; et ab *extrinseco* entium, quatenus in separato loco, aut tempore existunt. Ceterum entia *similia* debent habere easdem prorsus qualitates, et quantitates, ut perfecte *similia* sint.

321. Stoicorum aetate jam versabatur quaestio, utrum nempe dentur, vel saltem dari possint duo entia, quae tum in essentialibus, tum in accidentalibus sint perfecte *similia*. Stoicos negantem sententiam tenuisse, docet Tullius (l. 2. qq. Acad.). Idem docuit Leibnitius, qui *indiscernibilia*, ea scilicet, in quibus eadem sunt, ob quae discerni deberent, nullimode dari posse, autumavit. Nam, ut ipse argumentabatur, si *indiscernibilia* dari possent, nulla foret ratio sufficiens, cur unum in uno loco, alterum in altero constitueretur, quasi haec ratio non posset esse subjectiva, et in Deo (§. 272). Neque recte hanc causam patrocinatus est Leibnitius, cum ex eo *indiscernibilia* deduxit, quod, si darentur, secerni non possent, ideoque unum forent, quasi scilicet ex diversa existentia distingui nequirent. Igitur duo, aut plura entia perfecte similia dari possunt, cum nulla pugna sit, ut plura entia habeant easdem proprietates essentiales, et accidentales, ipsaque Deus ad existentiam perducat. Adde: poteratne, quaeso, unum ens creare Deus? Poterat certe, et quidem sine ratione dependente a re possibili. Eccur in alio loco, vel tempore nequit creare aliud primo simile? Utrum vero reapse dentur, necne, quaestio resolvi nequit, quia omnia elementa, omnesque res examinandae forent, quod ab homine numquam per-

(1) Ceterum non videtur reprobanda doctrina Auctoris *Fragmentorum Cosmologiae*, docentis (*c.* 3. *sect.* 3. §. 5.), *similitudinem* explicari non posse per *identitatem*; in pluribus enim nihil est *idem*, nihil est *commune*: atque subjungentis, notionem similitudinis esse simplicissimam, atque propterea respuere definitionem (§. 316 nota).

fici potest. Ceterum *stoicum est quidem, nec admodum credibile, nullum esse pilum omnibus rebus talem, qualis sit pilus alius, nullum granum . . . Quid si in ejusmodi cera centum sigilla hoc annulo impressero?* ait Tullius (*qq. acad. l.* 2. *n.* 17. *et* 26.)

322. Hinc sequitur; 1. similia esse inter se, quae sunt similia cum tertio; 2. diversa esse inter se ea, quorum unum est simile tertio, alterum vero a tertio diversum.

ARTICULUS TERTIUS

DE QUANTITATE, ET AEQUALITATE.

323. *Quantitas* est id omne, propter quod aliquid partibus constat, atque in partes resolvi potest, ideoque augmenti, vel decrementi est capax, atque majus, minusve alio potest esse. Quare idea *quantitatis* est *relativa* (§. 106), quia aliquid potest esse magnum diverso sub respectu acceptum, semperque augmentum, et decrementum admitti potest. Iuxta mathematicos *quantitas* est *continua*, si in corpore respiciatur nulla in suis partibus interruptione intercepto (§. 310); et *discreta*, si consideretur in numero ab unitatibus inter se distinctis composito. Iam vero ea entia dicuntur *aequalia*, quae eadem sunt quantitate, licet diversa in *qualitate*; *inaequalia* proinde, quae eamdem non habent quantitatem. Ex quo patet *aequalia* non semper esse *similia*, quia illa quantitatem, haec qualitatem respiciunt; sed perfecte *similia* etiam eamdem *quantitatem* includunt. Ceterum, quae sunt *aequalia* possunt esse *similia*, sed *similitudo* tunc non ex conceptu quantitatis derivatur, quia *similitudinis* idea ad qualitates tantum dicit relationem, et iu perfecte similibus *quantitas* veluti una ex qualitatibus accipitur (1).

324. Interim; 1. quae sunt aequalia uni tertio sunt aequalia inter se; 2. ea, quorum unum est tertio aequale, alterum inaequale, sunt inaequalia inter se.

(1) Relationes *identitatis, similitudinis*, et *aequalitatis*, earumque oppositae videntur prorsus subjectivae, quia nullus nexus, nullaque dependentia intercedit inter res *identitas, similes, aequales*, neque idea unius excitat alterius ideam, quae tamen requirerentur, si forent objectivae (§. 314.).

ARTICULUS QUARTUS

DE ORDINE, SUCCESSIONE, DURATIONE, SPATIO.

325. Quando varia entia modum similem in existendo servant, atque quodvis eorum suo existit loco juxta finem quemcumque, illa *ordinata* dicuntur; uti *confusa* vocantur ea, quae nullum servant in existendo modum, aut saltem non suo quodvis existit loco, juxta aliquem finem statutum. *Ordo* itaque est ille modus similis, quo aliqua disposita, atque ad finem aliquem destinata sunt, aut est *parium, dispariumque rerum sua cuique loca tribuens dispositio*, uti ait s. Augustinus (l. 19. de Civ. c. 13.); *confusio* est negatio hujus modi similis quoad finem praestitutum. Sume exempla ex exercitu, ex acervo pecuniarum diversi pretii, ex aliquo sermone; nam *ordo*, vel *confusio* locum in omnibus rebus materialibus, et intelligibilibus habere possunt.

326. Ex quibus patet; 1. ordinem plura supponere ad eumdem finem conspirantia; 2. quare aut fine, aut plurium numero deficiente, ordinem evanescere; 3. ordinem *modum*, seu regulam supponere, juxta quam illa plura disponuntur; 4. ideoque ordinem simplicem, vel compositum esse, prout una, aut plures sunt regulae; 5. posse ordinem, vel confusionem praeseferre, quae ordinantur, pro finium diversitate; 6. ordinem semper voluptatem gignere, quia sensus suaviter excitant, animumque alliciunt, quae proportione, regulisque procedunt.

327. Dicuntur sibi *succedere* ea, quorum unum ingreditur in alterius locum, uti videre est in aquis, quae in flumine labuntur. Quare *successiva* ea sunt, quorum alia sequuntur alia; *successio* vero est continuata existentia illorum, quorum unum ingreditur in alterius locum. Hinc *successio* habet locum in ente, qui non manet in eodem statu. Sic dicitur facta *successio* in aliquo ente, si statui existentiae status non existentiae, aut statui alicujus adfectionis status alterius adfectionis ita in eo *successerit*, ut unus status alterum neget. Ex quibus patet, *seriem successivam* non posse existere nisi ex statibus singularibus successivis, quorum ablata successione, illa series nequit intelligi. Quibus positis, non abs re putamus aliquas de successione statuere propositiones excerptas ex saepe laudato Parchetti (*Fragmentorum Cosmologiae c.* 8.). Itaque

1. *Quaecumque successiva series est continua.* Siquidem si continui non essent status successivi *A. B. C.*, inter ipsos alius, vel alii status forent admittendi; atque proinde hoc ipso admitterentur alii status, qui succederent statui A, et praecederent statui B, sicque omnes hi status forent *series successiva continua.* Adde, quod nullimode concipi posset aliqua *successiva series*, quin status alicujus rei succederet statui alterius rei, et sic deinceps. Ex qua veritate et lex patet *continuitatis* (§. 310.), quae sic potest enunciari: *mutationes omnes in entibus serie accurate continua evolvuntur, saltibus quibuscumque minimis omnino exclusis.*

2. *Universitas successionum, et statuum successivorum factorum in entibus mutabilibus proficisci debet e variabili statu finitorum possibilium, quem nihil omnino praecessit.* Si enim alius status contingens praecessisset *universitati successionum, et statuum successivorum in entibus mutabilibus* praeter *variabilem finitorum possibilium statum, quem nihil omnino praecessit*, haec universitas haud universitas dicenda foret, uti supposita est. Ergo *universitas* ... Hinc patet *statum absolute primum* in possibilibus finitis fuisse *statum ipsorum contingentem*; ideoque hunc statum esse terminum, ex quo mutationes, et successiones mutabilium entium omnes debent proficisci.

3. *Quaecumque contingentium statuum series actu evoluta, vel quae actu evolvi potest, debet constare successivis simplicibus, et indivisibilibus statibus, et statu contingenti absolute primo.* Siquidem quaecumque contingentium statuum series actu evoluta, vel quae actu evolvi potest, debet constare successivis simplicibus, et indivisibilibus statibus, quia debet esse *continua* (ex prop. 1.); sed universitas successivorum simplicium, et indivisibilium statuum in entibus mutabilibus supponit etiam statum *variabilem absolute primum* (ex prop. 2.). Ergo *quaecumque contingentium* ...

4. *Nulla successiva series actu evoluta, vel quae potest evolvi, constare potest infinito terminorum numero.* Nam si infinito numero terminorum constaret, series illa successiva nullum haberet finem; sed hoc repugnat, quia quaecumque successiva series constare debet tantum successivis simplicibus, et indivisibilibus statibus, et statu contingenti absolute primo (ex. prop. 3.). Ergo *nulla successiva* ...

328. Ab idea *successionis* (§. 327.) ad illam *durationis* progrediamur. *Durare* dicitur aliquod ens, cum manet in eodem statu, seu quando uni statui, in quo est illud ens, non

succedit alius status illi oppositus. Quare *duratio* est negatio successionis, et mutationis sub ea ratione, sub qua ens *durat*, licet non *duret* respectu aliarum affectionum. Quapropter 1. *duratio* contradictorie opponitur successioni, et mutationi; 2. ideoque *duratio* est affectio *negativa*, licet verbo *positivo* expressa; 3. male proinde aliqui *durationem* definiunt *continuatam entis existentiam*, haec enim definitio supponit *possibilia*, quae *non existunt*, non *durare*; *durationem* consistere in serie successiva, quae continua esse debet (§. 327. prop. 1.); dari in aeternitate, quae procul dubio *durat*, successionem: quae tria sunt rationi absona; 4. ac per consequens potius *continuatio*, quam *duratio*, est dicendus status successionis, et mutationis, cui in ente aliquo non succedit status contradictorie oppositus; e. g. *continuat*, non *durat* corpus in statu motus, quando huic motus statui non succedit oppositus status negationis motus. Sed huic doctrinae aliqua praestat addere ex Parchetti (*Fragmen. Cosmologiae variis locis c.* 7. 8. 9.) decerpta.

1. *Quodcumque ens, quod in aliquo suo statu durat, quatenus durat, adest omnibus statibus, qui, eo durante, praesentes fiunt, si quoad alios status in eodem ente, vel aliis entibus mutationes evolvantur.* Hac enim in hypothesi, non mutato ente in suo statu, in quo *durat*, status illi, quos acquirunt, vel amittunt entia, in quibus evolvuntur mutationes, de possibilibus evadunt actu praesentes, aut de praesentibus evaduut possibiles. Mutatio proinde tota se habet ex parte entium, in quibus mutationes evolvuntur, et respectu illorum statuum, qui mutantur, et non ex parte entis, quod durat, respectu status, in quo durat. Igitur *quodcumque ens*... Sic, *immota* stante columna in flumine, ad ejus contactum accedunt, perveniunt, recedunt aquae fluentes; mutantur enim *relationes locorum*, quas habent aquae ad columnam, quae numquam locum suum mutat.

2. *Series successiva mutationum physicarum, vel logicarum affectionum nequit dici composita duratio.* Nam entia composita existentia, seu durantia existentibus partibus constare debent; sed in serie successiva status praeteriti, et futuri non sunt extantes, cum tantum status praesens existat. Ergo *series successiva* ... Quapropter, quando seriem successivam *durationem compositam* vocamus, tunc seriei terminos in mente nostra concipimus, sicque *imaginariam* compositionem efformamus.

Quare 1. quando nos alicujus entis *durationem* metimur ex statuum successivorum evolutione, consideramus ens, quod durat, non mutatum quoad statum, in quo durat, sed veluti immobilem terminum, ad quem referuntur mutationes, quae, eo durante, contingunt, quibusque coexistit. 2. Ideoque dicimus, aliquod ens *durasse*, quamdiu est evoluta successio statuum in aliis entibus mutabilibus, vel in eodem ente, quod durat, quoad alios status; *duraturum* vero, quantum temporis constituit numerus statuum successivorum, ente illo durante in statu suo. 3. Quare quaevis *duratio* commensurari potest ex numero successionum, quibus ens coexistit, vel coexistere potest; sic e. g. dicentes, rem aliquam annum *durasse*, asserimus, illam rem coextitisse revolutioni solis per zodiacum, quin ulla mutatio facta sit in ipsa re circa status, in quibus *duravit*. 4. Hinc dicitur *coexistere* aliquod ens statibus successivis, si, illo extante, status successivi praesentes sint; *coextitisse*, si, illo *durante*, status successivi fluxerint; *coextiturum*, si illo existente, status illi futuri sint, licet non adhuc evolvantur. 5. Quapropter ex successionibus, quae, aliquo ente *durante*, contingunt, nullam patitur mutationem physicam ens illud, sed tantum subjectum evadit novarum denominationum, seu subjectum mutationis logicae, quae neque Dei aeternitati adversatur (§. 328. prop. 1.). 6. Ac propterea dicitur aliquod ens *coepisse extare ante aliud*, cum plures effluxerunt mutationes, ex qua coepit extare unum, quam ex quo coepit aliud; *semper fuisse*, quod fuit in omnibus mutabilibus statibus hucusque evolutis in entibus quibusque; *non semper fuisse*, quod fuit in aliquibus tantum hujusmodi statibus mutabilibus; *semper extitisse*, quod extitit, dum fuere universae hucusque evolutae successiones; *semper futurum*, quod est ordinatum ad existendum in omnibus statibus evolvendis in rebus finitis; *semper extiturum*, quod est extiturum in omnibus statibus evolvendis post illum, in quo coepit extare. 7. Ideoque ens necessarium *extat*, *semper extitit*, *semper erit extiturum*; *possibilitas* vero *externa* semper fuit, est, futura erit. 8. Deus itaque non posset dici *extitisse*, aut *semper extitisse*, sed tantum *extare*, si nullae fuissent successiones statuum contingentium. 9. Hinc absque errore potest dici, Deum modo *plus durasse*, quam *ante* annos mille, quia *modo* pluribus coextitit statibus successivis, quam ante annos mille. 10. Quare *duratio* Dei accepta *in se ipsa* non est *nunc major*, quam fuit *ante*; considerata vero quoad physicas mutationes in entibus finitis, sive quoad rela-

tionem coexistentiae cum successivis entibus, potest vocari *major*. 11. Ceterum *duratio* non est distincta a re, quae durat, tum quia, duratio est adfectio rei durantis, tum quia secus suae naturae necessitate extitisset primus durationis terminus, cum nihil ipsum praecedere potuisset.

329. Ex idea *successionis* (§. 327.) illam *temporis* efformare possumus. *Tempus* itaque est multitudo mutationum contingentium, singularium, et indivisibilium in serie continua, et successiva (§. 327. prop. 1.). Quoniam vero in successiva serie mutationum tantum compositio *imaginaria* datur (§. 328. prop. 2.); ideo tempus est multitudo, seu compositum *imaginarium*. Hinc 1. tempus est *majus*, vel *minus* ex numero durationum singularium; *minimum*, si duabus constat hisce durationibus; *maximum*, si omnibus constat durationibus; sed hoc dari nequit, quia numerus durationum potest in infinitum augeri; 2. *tempus* semper refertur ad successionis ideam, sine qua illud nequit concipi; 3. ac propterea, ablata successione, non possumus tempus metiri; imo omnis idea temporis evanescit; 4. ideoque tempus incepit cum mundo, cum quo rerum successio exordium habuit; 5. frustra proinde quaeritur, quare mundus *ante*, et non *post* creatus sit, cum *ante*, et *post* cadant in tempus, quod nullum fuit ante mundum creatum; 6. tempus mensuratur successivis, sed a successivis, et a successione, quae cum tempore procedit, reapse non distinguitur; 7. tempus eo longius est, aut videtur, quo major est numerus successivorum; 8. etiam idearum a mente humana confectarum successione, possumus tempus dimetiri, dummodo illae advertantur ideae; 9. et ideo brevius vocatur tempus ab illo, qui in aliqua detinetur voluptate, cum idearum successionem haud sentiat, vel advertat; 10. e contra vocatur tempus aequo longius ab illo, qui aliqua afficitur aerumna, a qua speret eripi, aut bonum cupit, quod speret adipisci, quia omnes tristitiae ideas sentit, a quibus, veluti a mallei ictibus, contunditur; 11. et ratio dein patet, cur hebetes, segnes, otio, ac voluptatibus dediti abhorreant a studio, a virtute, a disciplina, a solitudine, quae omnia eos tristitia afficiunt, nullam ipsis voluptatem creant, ideoque in illis longissimum insumere tempus ipsi glorientur; 12. dicitur autem aliqua res *extare in tempore* aut quia, ipsa durante in statu suo, et externas tantum mutationes acquirente, extant successivi status tempus constituentes (§. 328. prop. 1.); aut quia ejus existentia habetur ex statibus, ex quibus tempus constare intelligitur; sed primo in sensu extant *in tempore*, quae

durant in statu suo: in secundo sensu extant *in tempore* finita, quorum existentia succedit inexistentiae, et evadit, vel evadere potest novus temporis terminus; 13. quare status possibilium absolute primus non est *in tempore*, quia nulli alii successit (§. 327. prop. 2.); sed tantum est terminus in *potentia*, quatenus evadit terminus temporis, si desinat per creationem possibilium; 14. proindeque *instans* est quaecumque duratio contingens solitarie spectata, seu status quicumque contingens, in quo nulla potest concipi multitudo partium seriei successivae. 15. hocque propterea sub respectu *instans* dici potest duratio entis absolute una, et simplex, si, ente durante in statu suo, successiones contingant in aliis entibus, vel in aliis ejusdem entis statibus (*cap.* 8. §. 33. *ad* 39. *Fragm. Cosm.*).

330. Ex eo quod successione metiamur tempus, recte infertur, ideam temporis non esse *formam sensibilitatis*, seu *intuitum sensus nostri interni a priori*, *nempe subjectivum intuitum*, independentem tum ab externis objectis, tum ab affectionibus animi, uti docuerunt Kantius, ejusque asseclae (§.67.). Siquidem ideam temporis mens humana inter objecta ipsa sibi efformat, uti optime notat Mastrofini (*L'anima, e suoi stati l.* 2. *c.* 4 *a.* 3), qui dignus est, ut attente legatur. Quare, licet tempus sit compositum imaginarium (§. 329), quatenus status praeteriti, et futuri successivae seriei uon existunt praesentes, ideoque uou efformant durationem compositam (§. 328. prop. 2.); tamen non male hoc tempus dicitur *reale*, et *physicum*, quateuus mutationes *reales*, *et physicas* humana mens respiciens, tempus *praeteritum reale* metiri valet. Sic porro efformata idea temporis *realis*, facile est menti ex illa etiam sibi cudere temporis *idealis*, sive *imaginarii* ideam, quae est idea possibilitatis multitudinis contingentium singularium, et indivisibilium durationum in serie continua, et successiva. Hoc tempus imaginarium vocant *purum* recentes, quia, ut ipsi dicunt, ex experientia non oritur.

331. Ex idea durationis (§. 328.) efformamus ideam aeternitatis, quae est *perfectissima duratio*. Duratio proinde dispesci potest in *aeternam*, et *contingentem*; duratio aeterna, quae est eadem ac *aeternitas*, consistit in necessaria negatione mutationis, uti est duratio summi Entis; *contingens* vero habetur, cum non datur quidem mutatio in aliquo ente quoad statum in quo est (alioquin non foret duratio), sed dari potest. Hinc patet, *status durationis aeternae* non posse seriei successivae terminos esse, alioquin non forent dura-

tionis status; *statum possibilium* non posse alium habere ante se (§. 327. prop. 2.), sed posse alium habere post se, ideoque posse evadere initium seriei successivae, si ille status commutetur; *status durationis contingentis* actu evadere successivae seriei terminos, si actu illi commutentur; statum *rei extantis finitae* esse successivum alii, vel aliis praecedentibus, et posse ulterioris seriei esse terminum. Posita *aeternitatis* definitione, 1. definitio Boetii *vitae interminabilis tota simul*, et *perfecta possessio*, debet sic corrigi: *interminabilis vitae minime successiva*, *et perfecta possessio*; quia illud *tota simul* innuit partes, quae in aeternitate non sunt; 2. ideoque successio, mutatio, tempus opponuntur aeternitati, quae est posita in perfectissima duratione; 3. ac propterea falsus est Lockius, qui aeternitatem efformat ex infinita temporis multiplicatione, cujus initium nec datur, nec dari potest: 4. non videtur autem probanda aeternitas *a parte ante*, *et a parte post*, sive *antecedens*, et *consequens*, si loquamur de aeternitate absoluta, in qua nulla successio, mutatio, vel divisio esse potest; si vero de aeternitate loquamur, quae adfuit, vel adfutura est statibus entium finitorum evolutis, vel evolvendis, ipsa dividenda est in *antecedentem*, *praesentem*, et *consequentem*, alioquin negaretur aeternitas statibus praesentibus praesens; 5. hinc aeternitas *antecedens* dici potest *infinita*, quatenus terminari non potest ullo statu rerum, qui antecesserit ipsam aeternitatem; *consequens* vero *infinita* dici potest quatenus nullus erit status contingens futurus, qui huic aeternitati finem imponat; 6. quae *consequens* aeternitas proprio nomine dicitur *aevum*, et utraque vocatur *sempiternitas*, sed haec vocabula facile confunduntur. Interim sit sequens propositio.

Entia finita, *considerata uti possibilia*, *vel uti futura*, *nequeunt dici coexistere aeternitati*. Nam 1. affectio, affectionisque negatio nequeunt simul coexistere uni tertio, alioquin simul esset, et non esset affectio; atqui, si aeternitati, quod est hoc tertium, coexisterent, entia finita possibilia, et futura, simul coexisterent, uti est in hypothesi, et non coexisterent, quia non extant. 2. Entia finita *successive* existunt; non enim possunt omnia simul existere cum suis possibilibus affectionibus (§. 282.); sed ad essentiam successivarum rerum pertinet, ut earum termini per contradictionem oppositi non existant simul (§. 327.); simul vero existere deberent possibilia, et futura, si coexisterent aeternitati (§. 328. cor. 4.). Vide *Fragmenta Cosmologiae* (c. 7. et 8.).

332. Ex coexistentibus (§. 328. cor. 4.), quae *simultanea* quoque dicuntur, quia *simul* existunt, ideam *spatii* possumus conficere. Nam *spatium reale*, seu *physicum* recte definiri potest quaedam extensio orta ex simultanea coexistentia in serie physica continua corporum hujus mundi; *ideale* vero, sive imaginarium, extensio capax recipiendi corpora simultanea. Hinc cl. Mastrofini spatium *plenum*, quod nos dicimus *physicum*, extensionem definit acceptam cum impenetrabilitate; et spatium *vacuum*, sive *ideale*, extensionem a mente conceptam sine impenetrabilitate (*L'anima, e suoi stati: t.* 1. *l.* 2. *c.* 3. *a.* 10. *n.* 682.); nempe sine impenetrabilitate reali, sed cum impenetrabilitate possibili, alioquin extensio possibilis, et idealis non posset concipi. *Vacuum* substantive positum potest concipi etiam inter res existentes materiales, quae se mutuo non contingunt, et dicitur *disseminatum*, cum nempe exsurgit ex spatio reali, et ideali, seu est interceptum ex extensionibus actu extantibus. Ex data idea spatii illa enascitur *loci*, qui est realis, ac determinatus modus coexistendi ceteris simultaneis, et *situs*, qui est modus existendi in serie interrupta. Quare 1. spatium *reale*, *locus*, *situs* ita referuntur ad simultanea, ut, hisce ablatis, illorum ideae evanescant. 2. Sed *locus*, et *situs* non habent adeo intrinsecam connexionem cum entibus, quae sunt in loco, vel situ, ut, hisce mutatis, mutentur et entia; haec enim possunt *durare* absque relatione ad hunc locum; e. g. quin sint in loco superiori, in quo prius erant, cum possint simultanee transire de superiori ad locum inferiorem. 3. Ceterum si unum tantum ens existeret, non posset dici esse in *loco*, quia deessent *simultanea*, ad quae relationem dicere debet, ut dicatur in loco, vel in illo loco. 4. Ideoque petere, *ubinam Deus esset ante mundi creationem, et ubinam mundus creatus sit*, est supponere absurdum, nempe esse locum ante res creatas. 5. Spatio tantum reali possunt tribui *magnum*, *parvum*, *immensurabile*, *quantum*, quae voces in spatio *ideali* ideas mentis tantum exprimunt. 6. Verum male diceretur spatium *reale* receptaculum trine extensum, atque a cunctis rebus distinctum quia, assereretur substantia quaedam composita alio spatio indigens, et sic procedendum foret ad infinitum. 7. Spatium *plenum* potest esse perfecte *plenum*, quando inter extensionis elementa nihil intercipi potest, salva eorum mutua positione, et non perfecte *plenum*, cum nempe in ipso habetur vacuum disseminatum, seu cum extensionis elementa nec se mutuo contingunt, neque inter se extensionem com-

prehendunt. 8. Item vacuum potest esse *ante-mundanum*, et *extra-mundanum*, quorum priorum est extensio possibilis, cujus elementa possunt existere contigua, et non compenetrata; alterum vero est ipsum spatium *ante-mundanum* extra mundi limites.

333. Hinc perperam hic quoque dictitat Kantius, nempe ideam *spatii physici* esse *formam subjectivam* animae, seu *visionem*, et *intuitum nostrae sensibilitatis*. Nam, uti vidimus, *spatium physicum* oritur ex coexistentia corporum, atque proinde, istis deficientibus, ipsum quoque deficit. Spatium vero *ideale* ad normam spatii physici cogitamus, illudque statuimus in possibilitate corporum coexistentium in extensione nullis limitibus circumscripta (1). Videatur Mastrofini (*D'anima*, *e suoi stati t.* 1. *l.* 2. *c.* 3. *n.* 684; *et o.* 4. *n.* 720, *et seqq.*), qui Kantismum hinc inde paucis discutit, atque ideas temporis, et spatii ab Kantii Formalismo vindicat.

CAPUT QUINTUM

DE ENTIUM VIRIBUS.

334. *Agere* dicitur res materialis, si partem sui in aliam convertat, uti tellus in herbam, aut etiam sine sui partitione, uti si una alteram ad motum determinet; *agere* dicitur ens animatum, sive *intra se* actionem exerit, sive *ad extra* in aliud influit: sic *agit* anima humana cogitando, aut sui corporis membra movendo; *agere* demum dicitur Deus simplicissimo suae omnipotentis voluntatis nutu. *Agere* itaque idem est ac aliquam mutationem producere. Abstractum dicitur *actio*, quae est id omne, cujus causa ultimo contingit muta-

(1) Non abs re erit hic notare, *spatium reale* posse concipi 1. aut veluti extensionem alicujus corporis suis qualitatibus primariis, et secundariis carentis; 2. aut veluti distantiam, quae inter plura corpora intercedit; 3. aut veluti id totum, in quo locatae sunt res creatae. In primo casu spatium est conceptus mentis, quia abstractione ejus ideam efformamus; in secundo casu est etiam conceptus mentis, quia ideam ejus efformamus ex comparatione unius corporis ad aliud, et ex abstractione mentis considerantis capacitatem recipiendi corpora alia inter alia; in tertio casu est etiam mentis conceptus, quia abstractione mentis concipimus id, in quo res sunt locatae. Dum tamen *subjectivam* dicimus ideam spatii, nil de ejus veritate *objectiva* detrahimus, cum haec idea subjectiva ex coexistentibus, atque ex entibus realibus educatur. Vide Pluquet (*Examen du fatalisme t.* 2. *p.* 2. *liv.* 1. *sect.* 2. *chap.* 1.).

tii. Sed ens, quod agit, *potentia agendi* pollere debet, alioquin agere nequiret. Verum haec potentia agendi aliquid requirit, ut in actum prorumpat, quia *potentia* nudam agendi possibilitatem includit. Hoc aliquid est *vis*, quae est veluti potentiae evolutio, actionisque existentiae rationem sufficientem continet. Igitur in ente agente supponenda sunt *potentia activa*, *vis*, *actio*. Hujusmodi potentia est in *actu primo*, si inspiciatur, antequam vires adhibeat, *in actu secundo*, si consideretur tempore, quo operatur, hocque in casu est ipsa *vis* in exercitio posita. Potentia agendi supponit in alio *potentiam patiendi*, seu capacitatem recipiendi mutationem a potentia activa producendam. Ignis, qui calefacit, habet potentiam *activam*; lapis, qui calefit, potentiam *passivam*, seu patiendi.

335. Deinde illud omne, quod in ente patiente, seu passivo gignit potentia activa, *effectus* vocatur. Igitur agens activa potentia adornatum est *subjectum* actionis, effectus vero est *terminus* actionis. Iam vero, si terminus actionis intra subjectum maneat, actio dicitur *immanens*, uti perceptio in anima, in qua remanet terminus perceptionis, nempe idea; si vero terminus actionis extra subjectum sit, tunc actio dicitur *transiens*, uti actio pictoris, extra quem icon sistit. Quare subjectum, seu principium actionis nullam gignit in objectis extra se positis mutationem actione sua *immanenti*, e. g. nullam mutationem efficit perceptione sua mens mea in objecto percepto; sed mutationem efficit actione *transeunti*; e. g. pictor mutationem in ligno producit. Cave tamen credas, agens actione sua *transeunti* diffundi extra se in *patiens*, quod Thomas Campanella, atque emanatistis adrisit; actione enim sua agens producit mutationem, licet modus, quo hoc eveniat, ignoretur. *Actio* praeterea dicitur *creatio*, et *potentia*, et *vis* dicuntur *creatrices*, si actionis terminus tam formam recipit, quam existentiam, seu si, antequam illius actionis terminus fieret, erat nihil. Si vero terminus unam recipit formam, *actio* dicitur *productio*, et *potentia*, et *vis productrices*. Igitur *creatio* supponit rem eductam e nihilo sui, et subjecti; *productio* vero tantum e nihilo sui (1).

(1) *Creatio* est actio *immanens*, an *transiens*? Videtur neutrum dici posse. Si enim dicatur *immanens*, videntur creaturae poni in Deo *formaliter* existentes, quia actio quaecumque conjuncta est cum eo, in quod terminat; si vero dicatur *transiens*, videntur creaturae ante creationem extitisse, quia actio quaecumque supponit subjectum, in quod transit. Quare potius dicendum videtur cum auctore *Fragmentorum Cosmologiae* (*dissert.* 1. *n.* 19.), u-

336. Insuper ens, quod agit, effectumque producit, substantia esse debet, tum quia vis activa non nisi in substautia esse potest, cum sit aliqua proprietas; tum quia praeter substantias nihil aliud existit, quod in substantiis non reperiatur (§. 301, et 305. not. 3.). Quare eum alicui potentiae seu facultati actio tribuitur, medium dumtaxat innuitur, quo substantia ad suas perficiendas actiones utitur. Ita tribuitur cogitatio intellectui, quatenus illo, tanquam medio, utitur mens humana, ut cogitet.

337. *Principium* est id, quod continet in se rationem alterius; hoc vero alterum *principiatum* audit. Principium proinde, 1. debet esse *principiato prius*, vel *origine*, quatenus principiatum a principio oriri intelligitur; vel *natura*, quatenus principium supponitur completum in sua natura ante principiatum; vel *tempore*, quatenus principium existit, nondum existente principiato; 2. debet aliquid continere, ex quo fluit principiatum; 3. debet aliquo pacto distingui a principiato, ne dicatur sui ipsius principium. Multiplicis generis esse principium vidimus (§. 260.). Verum illud animadvertimus, principium nempe considerari posse in se absque respectu ad principiatum, et quatenus est principium. In primo casu sumitur *materialiter*, et potest *tempore prius* esse principiato; in secundo spectatur *formaliter*, et tunc debet *natura*, aut *origine* esse *prius* principiato (§. 314.)

338. Hisce praejactis, dicimus, *causam* esse principium, quod in se rationem sufficientem existentiae alterius a se natura distincti continet, et ideo vocari etiam *principium causalitatis*, vel *actualitatis*, vel *existentiae*. Diximus vero *a se natura distincti*, ut *causa* a *principio* distinguatur; principium enim in suo conceptu tantum alterius rationem includit, sive sit, sive non sit *natura* distinetum ab hoc altero. Quare quaevis causa est principium, sed non vicissim.

339. *Causalitas* dicitur in causa ratio sufficiens illius, quod in effectu reperitur. Sed cum multiplici modo haec ratio esse possit, ideo multiplex *causa* assignatur. Nam 1. est *efficiens*, quae sua vi efficienti producit effectum: sic Deus est *causa efficiens* mundi; 2. *materialis*, quae est ipsissima *materia*, quam causa efficiens adhibet ad aliquid efficiendum, quaque demum componitur effectus; 3. *formalis*, quae

tramque actionem ingredi ideam creationis, sicque actionem creationis esse modo *subjectivam*, modo *terminativam*. Siquidem est in Deo *immanens* ab aeterno, et respiciebat e. g. mundum creandum, est *transiens*, et mutabat statum possibilitatis mundi in statum existentiae.

est *forma*, seu dispositio, quam causa efficiens largitur effectui; 4. *finalis*, quae rationem contiuet, propter quam causa efficiens operatur; 5. *exemplaris*, quae est veluti prototypum, quod respiciens causa efficiens aliquid simile operatur. Pictor est *causa efficiens* icouis: colores, et tela sunt *causa materialis*: dispositio a pictore tributa coloribus in tela ad illam efficiendam iconem, est *causa formalis*: lucrum, aut gloria sunt *causa finalis*: icon ex. gr. a Raphaele efformata est *causa exemplaris*, ad cujus normam pictor aliam efformat iconem.

340. Omnes recensitas *causas* vero nomine causarum donari, aliqui inficiantur. Verum, statuta analysi, diversa res videbitur. Siquidem causa *efficiens* influit vi sua in effectum; *materialis* influit in effectum, quatenus ex ipsa efformatur, imo saepe movet causam efficientem, aut saltem eam ad agendum reddit expeditam; *formalis*, quae consistit in quadam determinatione data praeexistenti materiae, influit in effectum, quatenus ipsum in data classi, et in suo *esse formali* constituit; *finalis* movet omnino causam efficientem, ipsiusque potentiam activam percellit, impellitque ad ponendum effectum; *exemplaris* in effectum influit, dirigens causam efficientem, ut prototypo assimilet effectum.

341. Hinc patet, perperam omnino Humium (§. 55. not.) docuisse, *necessitatem causae pro quacumque existentia haud esse suffultam aliquo demonstrativo, aut intuitivo argumento*; quod idem est ac dicere, non posse demonstrari effectum impossibilem sine causa. Ast nonne aliqua existunt, quae initium existentiae habuerunt? Nonne *effectus* exprimit aliquod factum antea non existens? Nonne resistentia nobis facta aliquod supponit, quod illam gignit? Anne haec omnia concipi possent sine causa? Nonne, si causas tolles, omnia casu contingere, dicere cogeris? Ignota quidem potest esse causa, sed est tamen existens (1).

(1) Deinde potest hoc *causalitatis* principium probari hoc alio ratiocinio. Quidquid existit aut habuit initium, aut non. Si initium non habuit, *effectus* vocari nequit, quia alioquin penderet ab alio, a quo proinde initium habuisset. Igitur quod *effectus* dicitur, habuit initium. Initium aliquod ens habere potest per creationem, vel per productionem (§. 335.); quod creatur vel producitur, ab alio dependet, a quo initium habet; quod ab alio dependet, ut habeat initium, supponit hoc aliud causam sui. Ergo *nullus est effectus sine causa*. Quare ex analysi causae, et effectus eruitur, effectus ideam in illa causae contineri. Quapropter *principium causalitatis* est purum, identicum, analyticum, necessarium, immutabile, universale. Ex quo patet, ex idea causae, et effectus hoc principium derivari, et non ab *instinctu*, ut vult Humius,

342. Patet quoque *causam efficientem* non confundendam esse cum *conditione*, *sine qua non* ponitur effectus. Nam causa efficiens vi sua effectum producit; *conditio* vero, *sine qua non*, tantum requiritur, ut virtus causae reddatur expedita ad actum, seu est *requisitum*, ut causa agat, vel melius agat. Causa combustionis est ignis; sed, ut ignis comburat, requiritur siccitas, et justa propinquitas in ligno, quae constituunt *conditionem*, *sine qua non* ignis combureret lignum.

343. Causa efficiens est multiplex; nam 1. est *necessaria*; aut *libera*. Illa operatur juxta totam vim sibi inditam a naturae auctore, quin valeat se temperare; ista vero suo consilio, et arbitrio agit, ideoque praetermittere, minuere, augere, etiam positis ad agendum requisitis, suas actiones potest. Ignis comburens lignum est causa *necessaria*; homo volens, aut nolens est causa *libera*. 2. Est *prima*, aut *secunda*: *prima* existit *a se*, nullique subjicitur, et vi propria a nemine mutuata operatur; *secunda* tum in existentia, tum in operatione alteri subjicitur. Deus est causa *prima*, creaturae causae *secundae*. 3. Est *totalis*, et *partialis*; *totalis*, sive *adaequata*, vi sua *totum* gignit effectum *partialis*, sive *inadaequata*, sociata alteri effectum producit. Unus equus rhedam trahens est causa *totalis*; duo equi rhedam trahentes sunt causae *partiales*. 4. Istae causae *partiales* vero sunt *subordinatae*, si una ab alia dependeat; *sociae*, si una ab alia non dependeat. Avus, et pater sunt causae *subordinatae* respectu istius filii, vir, et uxor sunt causae *sociae* respectu eorum filii. 5. Istae porro causae *subordinatae*. aut tales sunt *essentialiter*, si una ab alia pendeat quoad existentiam et actionem; aut *accidentaliter*, si una ab alia dependeat tantum quoad existentiam. *Pater*, et *filius* sunt causae *essentialiter subordinatae*, si actio a filio patrata a patre fuerit praecepta; si praeceptum defuerit, sunt causae *accidentaliter* subordinatae. 6. Causa *subordinata* est etiam *immediata*, vel *mediata*; *immediata*, seu *proxima* effectum producit, sine ulla intermedia causa; *mediata*, sive *remota* effectum producit ope causae *immedia-*

neque a *vi instinctiva*, ut credit Reid, neque a *lege primitiva naturae rationalis*, ut vult Testa post Royer-Collard, neque ex *intellectu puro*, ut placuit Kantio. Vide Galluppi (*Saggio filos. t.* 1. *c.* 4. § 96. *et t* 4. *c.* 3, §. 31.), quem tamen cum aliis divexat, studetque refutare Alphonsus Testa (*Filos. della mente disc.* 2. *Nozione di causa e del principio di Causalità*), qui petitionem principii credit videre in Galluppiana demonstratione; quia cum dicitur, *quidquid existit, aut habuit* initium, aut non, supponitur, haberi aliquid, quod *habuit initium*, ideoque dari principium causalitatis Sed aliquid habere initium, experientia docet, neque hoc negat Testa.

tae. Avus est causa *mediata*, pater causa *immediata* filii. 7. Causa efficiens est quoque *per se*, et *per accidens.* Prima propria natura, vel deliberatione effectum producit; altera effectum producit non intentum a propria natura, aut propria deliberatione. Ignis comburens lignum, et homo interficiens feram sunt causae *per se*: lapis decidens a tecto, et perimens transeuntem, atque venator hominem pro fera interficiens, sunt causae *per accidens.* 8. Demum causa efficiens est *principalis*, aut *instrumentalis.* Illa effectum gignit vi sibi inhaerente; ista inservit principali instar instrumenti, atque vi principalis in effectum influit. Scriptor est causa *principalis*, calamus causa *instrumentalis* scriptionis.

344. Causa finalis (§. 339. n. 4.) est id, cujus gratia agit causa efficiens. Quapropter, 1. causa efficiens, quae ad agendum a fine allicitur, intelligendi facultate pollere debet, secus finem respicere nequiret, neque a fine moveretur; 2. finis aliquod bonum verum, vel saltem apparens esse debet, quia tantum a boni repraesentatione causa intelligens movetur; 3. finis supponit media, in quibus ratio existentiae finis continetur, et cujuscumque obstaculi remotionem; 4. ideoque media adhibere debet, ac removere obstacula, qui finem cupit: alias finem non vellet, uti non cupit doctus fieri, qui nec multa patitur, nec sudat, nec alget, nec se abstinet a vitiis; 5. finis in mente agentis creatae causae est ante mediorum conceptum, quia media propter finem praeconceptum exquiruntur; 6. et proinde finis est *primus in intentione*, *ultimus in executione*: media vero sunt *prima in executione*. *ultima in intentione*; 7. media, quae adhibentur ad assecutionem aliorum, evadunt fines *partiales* relate ad *ultimum finem*, quicumque ille sit in causae intelligentis mente; 8. ex quo series enascitur causarum finalium subordinatarum. quae ad communem aliquem finem directae, sapientiam ordinantis demonstrant.

345. Causa *physica*, *moralis*, *occasionalis*, inter causas quoque recensentur. Causa *physica* actione propria effectum producit; causa *moralis* vero ad effectum ponendum ministerio alieno utitur. Dominus mandans famulo, ut Titium occidat, est causa *moralis* homicidii; famulus vero causa *physica.* Quare causa *physica* est ipsa causa efficiens, quae immediate et vi sua effectum producit, et relationem habet ad *causam moralem*, quae mandato, consilio, consensu, precibus, aliisque hujusmodi mediis causam *physicam* ad agendum movet. Ceterum causa moralis sine *physica* haberi nequit; sed haec sine illa intelligi, et esse potest. Causa demum *occasionalis* di-

citur, quae causae efficientis virtuti praebet occasionem exercendi suas vires. Ita conceptio hominis in utero mulieris est *causa occasionalis*, quae sua praesentia Deo occasionem animam creandi praebet. Quapropter haec causa viribus destituitur ad effectum ponendum, nec proinde in effectum influit. Sic accepta causa *occasionalis* confundenda non est cum illis *occasionibus*, de quibus fit sermo in moralibus disciplinis, quaeque alliciendo, aut alio modo impellendo causam efficientem, in effectum influunt, melius dicendae *causae morales*.

346. Cartesius, Malebranchius, aliique, *occasionalistae* dicti, res creatas viribus activis expoliarunt. *Nullae in mundo materiali sunt vires*, *nullae in mundo sensibili*, *nullae potentiae*, *nullae verae causae*, ait Malebranchius in libro *de inquirenda veritate*. Quare juxta ipsos nec anima vi sua movet corpus, nec avis sua vi spatia transvolat, nec equus sua vi ambulat, nec terra sua vi germinat herbam virentem, nec ignis vi sua ligna comburit, nec lapis sua gravitatis vi percutit; sed tantum ex hujusmodi causarum praesentia arripit Deus occasionem laudatos effectus producendi. Ceterum non omnes occasionalistae eodem modo sentiunt. Aliqui enim *rigidissimi*, vires activas omnibus causis creatis, ipsique humanae menti denegant; alii *rigidiores*, animas humanas in liberis suis actionibus excipiunt; alii demum *benigni*, causis tantum materialibus vires inficiantur.

347. Sed cujuscumque classis sint hujusmodi occasionalistae, certum est, *causas secundas viribus activis potiri*. Siquidem, 1. nulla repugnantia est, ut creaturae *efficaciter* agant; non ex parte ipsarum, quia vis, quam iis tribuimus, finita est, ipsisque proportionata; neque proinde ex parte Dei, qui efficere valet, quidquid intrinsece possibile est (§. 279.) 2. In mundo est ordo, seu series entium coordinatorum, et subordinatorum; haec series vero intelligi nequit, quin alia entia agant, et alia patiantur. Ergo hujusmodi entia viribus activis pollere debent. 3. Deus certe creavit omnia cujuscumque generis entia propter aliquem finem; sed quomodo ad hunc praestitutum finem dirigerentur activis viribus destituta? 4. Quanam autem de ratione omnes fere homines effectus alicujus causam exquirere nituntur, quoties non constat, Deum esse illius causam, aut illum effectum excedere vires creatas, nisi quia omnibus persuasum est, creatas causas viribus activis pollere? 5. Si ignis vi sua non calefaciat, aqua sitim non extinguat, panis non nutriat, canis non allatret, bos terram aratro non exerceat, atque sexcenta, quae causis secundis tribuimus, in quibus proinde

vires activas supponimus, ecquid Deus haec omnia creavit? *Si res creatae nullo modo operantur ad effectus producendos, sed solus Deus operatur, frustra essent adhibitae ab ipso aliae res ad producendos effectus*, inquit apposite S. Thomas (*l.* 3. *cont. Gent. c.* 69.). 6. Demum, ut de anima humana loquar, si ipsa viribus suis activis destituatur, libera non est, corpus ipsa non movet, peccatrix non est, nullam meretur laudem, nullo praemio, nullaque poena est afficienda. En absurda, quae nobis sorbenda largiuntur occasionalistae! Nonne experientiae internae, externaeque adversatur, qui negat, animam agere in corpus; corpora externa in nostrum agere corpus; corpora agere in alia corpora, quae movent?

348. Neque dicas, Deum haud esse perfectissimam causam, nisi ipse unus ageret omnia. Nam perfectissima causa est Deus, quia causa prima est, atque a nullo dependens; et quia vi sua non aliunde accepta excellentissimo modo agit; et quia bonitate sua ductus, et non aliqua indigentia pulsus creaturis vires activas dedit. Ex quibus tamen haud sequitur, creaturas *agere* non posse, cum creaturae viribus activis ornatae ab ipso Deo actiones, ejus concursu adjutae, ponant, atque, prout earum fert natura, producant effectus, quin aliquid praestantissimae causae suffurentur.

349. Urgebis: si anima moveat se, moveat corpus suum; profecto se conservat in suis successivis cogitationibus, conservat corpora in diversis successive locis; quod certe est unius Dei. Verum respondemus, aliud esse animam vim habere, qua valet cogitationes perficere, et de una in aliam transire, et aliud se *conservare*, quod Dei proprium est. Illud primum supponit animam existentem, et a Deo conservatam; hoc alterum vero supponit tantum existentem. Idem dicatur de corpore ab anima ad motum excitato; nam translatio de loco in locum, in quo corporis motus consistit, supponit corpus conservatum a Deo, et vim omnino finitam in anima, quae illud vi voluntatis suae movet.

350. Ast demum instabis dicendo, spiritum toto caelo differre a corpore, ideoque in corpus agere non posse. Verum, si hoc foret, neque Deus in corpora operari posset cum et Deus spiritus sit. Et licet ignoremus, quomodo id fiat, non ideo negandum est, quod est apertum. V. Storch. (*Ont. sect.* 3. *c.* 4. §. 148, et *seqq.*), Mastrof. (*n.* 151, et *seqq.*), Dmowski (*Metaph. n.* 31. et *seqq.*), Spagni (*de causa efficiente*).

351. Circa causas *partiales* (§. 343. n. 3.) ad eumdem effectum producendum concurrentes, adhuc notari oportet,

ipsas esse aut *diversi generis*, uti efficiens, et finalis; aut *ejusdem generis*, uti duae causae efficientes; aut *ejusdem generis*, sed *diversi ordinis*, uti Deus, et creatura; aut *ejusdem generis*, et *ejusdem ordinis*, uti duo homines pondus attollentes. Deinde illud quoque quaeri potest, utrum duae causae *adaequatae* unum numero effectum producere valeant, sed quaevis earum integrum. Verum distinguendum est, nam si duae illae causae adaequatae sunt ejusdem ordinis, certe non possunt; uti quivis e duobus artificibus nequit integram unam statuam conficere, et ratio est quia effectus supponitur productus integer ab una causa; ergo si produceretur ab alia, bis produceretur, ideoque non unus, sed duo forent effectus. Si vero illae duae causae sunt diversi ordinis, ut prima, et secunda, aut tantum diversi generis, uti efficiens et finalis, possunt producere eumdem numero effectum, quia simul agunt, simulque influunt in effectum.

352. Ex hucusque dictis recte inferri possunt varii canones, quorum frequentissimus est usus penes omnes scientias. Et 1. *nullus est effectus sine causa sui*, alioquin aliquid existeret sine ratione sufficienti, quod certe repugnat (§. 269. et 341. cum not.). Ex quo patet, lusisse in re seria Tracyum, et Kantium, qui specie tenus differunt, et quorum primus substantias spirituales, et materiales dixit sensationum aggregatum, alter vero dumtaxat phaenomena, quasi sensationes non supponerent aliquid sentiens, et sentitum, et phaenomena aliquod subjectum reale. V. Bonelli (*t.* 2. *Ontol. c.* 7. *p.* 187.). 2. *Nihil est in effectu, quod non reperiatur in causa*; nam si in causa non foret, quidquid in effectu reperitur, in nihilo haberet rationem sufficientem, quod etiam repugnat (§. 277.). 3. *Quidquid est in effectu, in causa esse debet*, aut *formaliter*, nempe prout est in effectu, uti sanguis in venis; aut *virtualiter*, nempe in potentia causae efficientis, uti creaturae in Dei omnipotentia; aut *eminenter*, nempe si effectus in causa est, non uti in se sistit, sed nobiliori, et excellentiori modo, omnibusque defectibus defaecatus, uti sunt perfectiones creaturarum in Deo. Si enim nullo e tribus modis laudatis effectus in causa esset, foret in nihilo. 4. *Quaevis causa est prior suo effectu prioritate naturae*, si nullum intercedat tempus inter causam, et effectum, uti sol praecedit suos radios; aut *prioritate temporis*, si causa aliquo temporis intervallo effectum praecedat, uti in humanis pater praecedit filium. Ratio autem est, quia causa in se rationem sufficientem continere debet existentiae effectus, ideoque aliquo sensu

prior esse debet. (§. 337.). 5. *Nulla res valet esse sui ipsius causa*, alioquin operaretur, antequam existeret, nempe dum esset nihil, quod repugnat (§. 277.), et simul foret causa, et effectus sui. 6. *Duae causae nequeunt sibi mutuo esse causae existentiae*, alioquin quaevis earum operaretur ante existentiam, foret prior, et posterior, causa simul et effectus, quae omnia repugnant. 7. *Causa causae est etiam causa causati*. Notandum vero est, *causam causae* esse quidem *causam causati*, sed tunc dumtaxat, quando causatum producitur a causa eadem actione sibi communicata a *causa causae*, uti avus est *causa* nepotis, qui a patre istius productus est actione sibi ab illo communicata; ast si alio modo causatum existat, *causa causae* non est *causa causati*, uti non est causa peccatorum filii pater, qui peccata filii nullo modo actione ab ipso communicata producit. Hoc idem est ac si dicas, *causam causae* esse *causam causati*, cum *causatum* dependet *essentialiter* a *causa*, et haec a *causa causae*, non vero si dependeat *accidentaliter* (§. 343. n. 5.). 8. *Nequit dari progressus causarum secundarum, sibi subordinatarum in infinitum*; neque *circularis*, in quo, amota prima causa, ad illam e serie causarum subordinatarum reditur, in qua progressus inchoatur; neque *rectilineus*, in quo, etiam ablata prima causa, ab una e subordinatis inchoatur, et sic in aliis sine fine progredimur. Cujus rei ratio est, quia in *serie circulari* quaevis causa subordinata esset simul causa, et effectus, et operaretur antequam existeret; in *serie rectilinea* vero prima e subordinatis contineret rationem sufficientem existentiae omnium subordinatarum in infinitum, quod repugnat in causa secunda, quae finita est; et in se, vel in nihilo rationem sufficientem sui haberet, quod denuo esse nequit. 9. *Ex iisdem causis, positis iisdem adjunctis, iidem effectus*; et ex *similibus similes profluunt*, tum quia natura regitur constantibus legibus, tum quia nulla esset ratio, facta contraria hypothesi.

353. Tandem, ut recte in causarum theoria judicium feramus, haec observanda sunt: 1. Antequam alicujus effectus causam exquiras, illius effectus existentiam probes oportet; alias quaeres rationem sufficientem nullius. 2. Antequam alicujus effectus causam assignes, praejudiciis te expolies, omniaque deinde rectis Religionis Christi, et verae philosophiae ideis metiaris. 3. Teneas necesse est, quamcumque substantiam pro causa alicujus effectus esse posse, quia viribus activis omnes creatae res pollent (§. 347.); omnipotentia

vero infinita Deus. 4. Frustra alias requiras causas, si unam reperiveris satis sufficientem ad illum effectum explicandum; alias tempus supervacanee teres. 5. Ex eo, quod una res cum alia, aut post aliam procedat, non illico inferes, illam ab ista oriri; cum requiratur praeterea, ut, una comparente, alia compareat, una evanescente, altera evanescat, atque nexus sit inter primam, et secundam, hicque nexus semper, et constanter videatur. 6. Uni causae non attribuas, quae ex pluribus oriri possunt, uti aliqua popularis insurrectio a pluribus enasci potest. 7. Alicui causae liberae non illico tribuas aliquam aerumnam, aut quemvis effectum, qui malum putetur, si legibus physicis id explicare valeas. 8. Effectum naturam causae sequi teneas, ideoque liberas causae liberae, necessarias causae necessariae actiones semper reputabis.

CAPUT SEXTUM

DE ORTU, ET INTERITU ENTIUM

354. Cum entia *oriri* dicantur, quando existentiae initium; atque *interire*, quando existentiae finem recipiunt; ideo *ortus* est principium, *interitus* est finis existentiae entis alicujus. Verum entia nec omnia uno modo oriuntur, nec uno modo intereunt. Nam aut oriuntur ex nihilo sui, et subjecti, et intereunt quoad se, et subjectum; aut oriuntur ex nihilo sui, seu ex praeexistenti materia, et intereunt tantum quoad se, non destructa materia praeexistenti. Primo casu *ortus* dicitur *creatio* (§. 335.), et *interitus annihilatio*; in secundo casu *ortus* dicitur *simplex productio*, et *interitus corruptio*. Animae humanae *creantur*; corpora a Deo *annihilari* possunt; statua *producitur* ab artifice; statua ipsa post diuturna tempora *corrumpitur*.

355. Ex quibus definitionibus sequitur; 1. entia, quae oriri, vel interire possunt, esse contingentia, quia aliter esse possunt (§. 307.); 2. ideoque ens necessarium, quod aliter esse nequit (*ibid.*), neque oriri, neque interire posse; 3. ens simplex oriri non posse ab ente simplici per partium sui distractionem, transformationem, compositionem, quia simplex partibus caret (§. 309.); 4. neque proinde ens simplex oriri posse ab ente composito, quia alias partibus constaret; 5. igitur ens simplex oriri non posse ex praeexistenti quocumque ente per istius separationem, aut additionem, aut detractionem, aut interpositionem, aut transformationem;

6. ideoque oriri non posse, nisi per creationem (§. 354.), nempe a nihilo sui, et subjecti; 7. ergo creatione multiplicari entia existentia, quae prius erant possibilia; 8. ideoque perperam Spinozam impossibilem credidisse unius substantiae ab alia productionem, acceptam pro quocumque ortu, ac unam asseruisse existere substantiam (§. 306.); 9. quare neque corruptione ens simplex interire, quia partibus caret, et proinde esse sua natura immortale; 10. ideoque, si ens simplex intereat, omnino cessare, nulla sui parte superstite, ideoque *annichilari*; 11. ens simplex, et quidem necessarium creare posse, quia entia simplicia contingentia rationem sufficientem existentiae in alio, quod contingens non sit, habent (308. 12.); 12. ideoque nullum ens contingens, et finitum creare posse (Mastrof. *L'anima ecc. t.* 1. *n.* 160. *et seqq.*); 13. ens simplex, necessarium infinitum annihilare posse, a quo fit creatio; 14. creationem itaque, et annihilationem esse possibiles; 15. ens compositum oriri posse tum creatione, tum productione, prout non oriatur, vel oriatur ex praeexistenti materia; 16. ideoque etiam annihilatione et corruptione interire posse, ac proinde esse mortale; 17. productionem, et corruptionem fieri posse ab entibus contingentibus, quia productio est modificatio super praeexistenti materia, et corruptio hujusce modificationis destructio, quod vim causarum secundarum non excedit.

356. Et haec est, optimae spei juvenes, altera pars nostrae philosophiae rationalis. In ipsa minime, uti vidistis, in nudis explanandis vocabulis substitimus, neque de una in aliam velocissime transivimus illationem. Verum, non spreta objectorum consideratione, doctrinas quoque evolvimus, quae inde possunt erui, quaeque sunt aliarum disciplinarum fundamenta. A nihilo disquisitionem incepimus, atque ad possibilitatem, ad essentiam, ad existentiam descendimus; cribratis, quantum instituti nostri ratio ferre poterat, quae circa possibilia, et essentias metaphysicas moveutur, quaestionibus. Hinc ad generales gradum fecimus entium proprietates, illorumque unitatem, veritatem, bonitatem vindicavimus. Deinde claras de substantia, de qualitate, de persona ideas attulimus; atque evidenter entia specialia, contingens, et necessarium, mutabile et immutabile, simplex, et compositum, finitum, et infinitum, omnibus ontologice discussis, enucleavimus. Ad relativas postea transivimus entium proprietates, et uberrimam segetem idearum circa distinctionem, et identitatem, diversitatem, et similitudinem, quantitatem, et aequa-

litatem, ordinem, successionem, durationem, tempus, et spatium vobis attulimus. Entium vires dein examinavimus, atque de causis addidimus plurimas non spernendas doctrinas. Tandem de modo, quo entia oriuntur, ac intereunt, loquuti sumus, eaque deduximus, quae ad rem nostram pertinere videbantur. Haec est illa Philosophiae pars, in qua omnes magni circuli scientifici radii copulantur, atque communis totius scientificae pyramidis basis, a qua scientia quaecumque sua debet accipere principia, atque directionem, ait Gioberti (*Errori filos di Ant. Rosmini lett.* 3. *p.* 174. *et lett.* 4. *p.* 201. Copolago 1846.). Fertilis hic ager est, sed assidue excolendus, ut vobis et aliis uberes fructus largiatur.

FINIS TOMI PRIMI



INDEX

SECTIO III.

PHILOSOPHIAE RATIONALIS

PARS SECUNDA

pag.	lin.	ERRATA	CORRIGE
7	10	singulos	singulas
17	7	duobus	duabus
ibid.	21	mulieri	muliebri
32	1	phisophicum	philosophicum
50	12	philosophi	philosophici
ibid.	26	retrogado	retrogrado
55	24	exponi	exponit
82	37	soınnboʅ	loquutos
104	3	methymema	enthymema
107	17	reuma	reum
147	26	7. eli -	8. eli -
156	16	apponitur	opponitur
159	26	Nullaqua	nullaque
165	41	(1)	(2)
171	32	sustineat. . agat. . . patiatur	sustineant. . agant. . patiantur
183		identitas	identicas





NIHIL OBSTAT

Fr. Antonius Maria ab Arignano Ordinis Minorum Procurator Generalis.
Censor Theol. Deputatus.

REIMPRIMATUR

Fr. Dom. Buttaoni Ord. Praed. Sac. Pal. Ap. Mag.

REIMPRIMATUR

Joseph Canali Archiep. Coloss. Vicesg.

